# DE
# S. ISIDORO PELUSIOTA
## LIBRI TRES

SCRIBEBAT
ATQUE OPERÆ ÆSTIMATIONEM DEFEREBAT
PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI

EDMUNDUS L. A. BOUVY
AUGUSTINIANUS E DOMO ASSUMPTIONIS NEMAUSENSI

NEMAUSI
IN DOMO ASSUMPTIONIS

MDCCCLXXXIV

OPTIMI ET DOCTISSIMI VIRI

IN NOSTRA ASSVMPTIONIS DOMO NEMAVSENSI

STVDIIS PRÆFECTI

EVGENII GERMER-DVRAND

PIÆ AC DVLCI MEMORIÆ

SACRVM

DE

# S. ISIDORO PELUSIOTA

## LIBRI TRES

---

SCRIBEBAT

ATQUE OPERÆ ÆSTIMATIONEM DEFEREBAT

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI

EDMUNDUS L. A. BOUVY

AUGUSTINIANUS E DOMO ASSUMPTIONIS NEMAUSENSI



NEMAUSI

EXCUDEBANT LAFARE FRATRES

MDCCCLXXXIV

# DE S. ISIDORO PELUSIOTA

Ἡ ποικίλη καὶ ἡμετέρας
αὐλῆς μοῦσα Ἰσίδωρος.
Photii, *epist.* 207.

Septem fere anni sunt, cum, sub monte Algoaldo, suavem rusticationis socium et strenuum ambulationum comitem haberem virum doctissimum, litteris simul ac religioni acceptissimum. Multa tunc temporis permiscebam, omnemque lapidem movebam vaga et mutabili ratione, nil intentatum relinquens in hoc tanto immensoque campo eruditionis. Refrenabat animi levitatem sapiens amicus et ad Græcos melodos reducebat, quos, tanquam locupletem provinciam, jamdudum mihi decerni et ad me respicere gratulabatur. Aliquoties etiam suadebat, ut unum et illud alterum, consilium, sed unum prorsus, prosequerer et his duobus me totum involverem. Tum forte in manibus habuit novum ac magnum volumen

quo *Epistolographici Graeci* (1) continebantur. Silva erat infinita, quam interdum a castis oculis procul videri, aptius judicabat quam diligenter considerari. Nihilominus ex his saltibus ramum decerpsit qui mihi factus est *auricomus* et duri itineris felix auspicium. Præcipue enim notavit Epistolam Photii ad Amphilochium Cyzici metropolitam (2) περὶ τοῦ ἐπιστολιμαίου χαρακτῆρος. Platonis, Aristotelis, Demosthenisque litteras leviter Photius reprehendit, quod nemo certe mirabitur. Quæ vero Phalaridis et Bruti epistolæ esse dicuntur habet Amphilochius legendas. Habet τὸν ἐν βασιλεῦσι φιλόσοφον (3) et Libanium sophistam. « Quod si una cum epistolari charactere rerum utilitatem invenire cupias, occurrent Basilius et Gregorius et multiformis illa Isidori musa quæ plane et omnino nostra est. Ille, ut orationis, ita quoque sacerdotalis et asceticæ vitæ κανὼν dignissime inscri-

(1) *Epistolographici Graeci*, rec. adnot. crit. et ind. instr. R. Hercher. Parisiis. Didot. 1872.

(2) Ibid., p. 16. — Edit. Montacutii, epist. 207. — *Patrol. Graeca*, t. CII. Epist., lib. II, ep. 44. — Edit. Joh. Baletta, epist. 232. — De editt. epist. Photii, et earum ordine, Cf. J. Hergenroether. *Photius, patriarch von Constantinopel.* T. III, p. 225-231.

(3) *Wohl Julian ?* ait Hergenroether. Ego mallem de Marco Aurelio imperatore cogitare.

bitur (1). » Tam accurata satis idonei judicis commendatio Geremarum impulit, ut librum mihi afferret et de Isidoro sermonem induceret. Res nobis confestim cordi fuit. Scriptorem enim epistolarum nacti eramus facilem ac sobrium, non jejunum, sed pressum, non multum in loquendo, sed multa paucis absolventem ; hominem vere Græcum, vere probum ac sanctum, miti ac præclaro ingenio, singulari dicendi elegantia, non tamen poeticis vocibus affluentem, Joannis Chrysostomi, quo potissimum delectabar, defensorem ac patronum, et aureæ ejus elocutionis imitatorem, licet minus frequentibus theatris. Isidorus in aciem forensem, in clamorem urbium nunquam prodiit, sed vitam umbratilem et ab oculis hominum remotam amplexus est, dum primo ætatis flore pubescebat. Cum animo suo constituit non sibi agendum, sed scribendum et ita strenue et constanter scripsit ut omnes bonos ac frugi homines laudaret, omnes nequissimos castigaret. Totus adeo vivit in epistolis, ac suos æquales adeo vivos depingit, ut, si qualis fuerit epistolarum auctor expressero, magnum virum et omni laude excellentem lector agnoscere debeat; si quales ii

(1) ..... καὶ ἡ ποικίλη καὶ τῆς ἡμετέρας (vel ὑμετέρας) αὐλῆς μοῦσα Ἰσίδωρος · ὃς ὥσπερ λόγων, οὕτω δὲ καὶ ἱερατικῆς καὶ ἀσκητικῆς πολιτείας κανών ἐστι χρηματίζειν ἀξιόχρεως.

exstiterint ad quos litteras exaravit effinxero, germanam ac spirantem horum temporum imaginem omnes sint conspecturi. Re tandem diligenter expensa et suis ponderibus examinata, et mea sponte et gravissimo viro impulsore definitum est, ut illud litterariæ eruditionis periculum in academica palæstra facturus, Isidori vitam describerem formamque et figuram dicendi adumbrarem. Nunc non præmaturus, ut arbitror, libellus in lucem prodit, quem magis parato atque expedito animo ad judices deferrem, si qui suasor quondam fuerat operis, censor et emendator superesset. Sed ad sempiternam lucem excessit et alio quodam modo suffragatur amicis.

# LIBER PRIMUS

# ISIDORUS

## CAPUT I

### VETERUM TESTIMONIA PROFERUNTUR

ARGUMENTUM. — 1. *Quid sibi velit tam altum silentium de Isidoro?* — 2. *Loquuntur tamen Evagrius,* — 3. *Anastasius Sinaïta,* — 4. *Ephræmus Antiochenus,* — 5. *Stephanus* ὁ Γοβάρος, — 6. *Facundus Hermianensis,* — 7. *Suidas,* — 8. Menologium Basilianum, — 9. *Nicephorus.* — 10. *Testimoniorum summa.*

I. — Christ. Aug. Heumannus (1), quum videret Isidorum in annalium monumentis vix negligenter salutari et in scriptorum Christianorum catalogis prorsus omitti, in hoc alto silentio multum inesse mysteriorum reputavit. Nescio quem effinxit monachum, obscurum rhetorem, cujus omnis ætas et opera propter humilitatem vitæ in hominum ignoratione versabantur. Photium imprimis in *Bibliotheca* de Isidoro obmutescere, magnum ac mirandum

(1) Dissertatio de Isidoro Pelusiota, *in Primitiis Gottingensibus academicis.* p. 210, sqq. — De hac dissertatione mox fuse disseremus.

facit. Sed Photius multos certe codices legit ac lectitavit quos in *Bibliotheca* aliqua de causa præteriit. Isidorum certe evolverat, quem in sua ad Amphilochium epistola gloria et prædicatione effert. Verum exultat Heumannus Isidorum Hispalensem appellans, ne unum quidem verbum de cognomine suo facientem (1). Id ultimum libenter concedam, ad Hispalensium aures viri Pelusiotæ famam, præsertim Græco sermone scribentis, tardius pervenisse. Sed nihil ex hoc argumentationis modo conficitur. Aptius erit et utilius, mutis ac taciturnis auctoribus relictis, aliquando ad testes loquentes, sunt enim qui loquuntur, nos convertere.

2. — Evagrius Scholasticus, cujus diligentiam in historia scribenda et ex omnibus scriptoribus colligenda Valesius laudavit, ea memoriæ prodit (2) quæ sequuntur : Ἐπὶ τῆς αὐτῆς βασιλείας διέπρεπε καὶ Ἰσίδωρος, οὗ κλέος εὐρὺ κατὰ τὴν ποίησιν, ἔργῳ τε καὶ λόγῳ παρὰ πᾶσι διαβόητος. Ὃς οὕτω μὲν τὴν σάρκα τοῖς πόνοις ἐξέτηξεν, οὕτω δὲ τὴν ψυχὴν τοῖς ἀναγωγικοῖς ἐπίανε λόγοις, ὡς ἀγγελικὸν ἐπὶ γῆς μετελθεῖν βίον, στήλην τε ζῶσαν διαπαντὸς εἶναι, βίου τε μοναδικοῦ καὶ τῆς ἐς Θεὸν θεωρίας. Γέγραπται δ᾽οὖν αὐτῷ πολλὰ μὲν καὶ ἕτερα, πάσης ὠφελείας ἔμπλεα · γέγραπται δὲ πρὸς Κύριλλον τὸν ἀοίδιμον, ἐξ ὧν μάλιστα δείκνυται τοῦ θεσπεσίου συνακμάσαι τοῖς χρόνοις (3). Huc usque, nec plura, Evagrius, in rebus

(1) « Quis credat illaudatum ab eo (Isidoro Hisp.) relinqui potuisse virum cognominem, tacerique Isidorum ab Isidoro. » *Ibid.*, p. 211.

(2) Scripsit Evagrius ante annum 594, ut Valesius in præfatione probavit. *Patrol. Gr.*, T. LXXXVI, p. 2411.

(3) *Patrol. Gr.*, T. LXXXVI, p. 2461.

explanandis parcus et restrictus. Ex ejus testificatione vix evincitur Isidorum magna sanctitate et litteris celebritatem fuisse consecutum, et cum Cyrillo Alexandrino, suo fere æquali, rationem aliquam contraxisse.

3. — Anastasius ille Sinaïta (1), auctor τοῦ Ὁδηγοῦ et Cyrilli præco eximius, aliquid addit de suo : *Num Cyrillus,* adversarios enim interrogando urget ac premit, *Isidorum Pelusiotam rejecit, qui super duabus Christi naturis epistolam ad illum dedit; quem et patrem suum S. Cyrillus nominat?* Μὴ καὶ Ἰσίδωρον τὸν Πηλουσιώτην ἀπώσατο περὶ δύο φύσεων πρὸς αὐτὸν ἐπιστείλαντα, ὃν καὶ πατέρα αὐτοῦ ἀναγορεύει ὁ ἱερὸς Κύριλλος (2) ; et paulo post itidem : *Isidorus Ecclesiae Pelusiotarum ornamentum, ad Cyrillum tanquam pater ad filium scribit.* Καὶ ὁ τῶν Πηλουσιωτῶν κατακοσμήσας Ἰσίδωρος ἐκκλησίαν ἐπιστέλλει, διδάσκων ὡς πατὴρ υἱὸν, τὸν πάνσοφον Κύριλλον (3).

4. — Ephræmus vero Syrus, quondam Orientis Comes, deinde summo apud Antiochenos sacerdotio auctus (4), ante annum Christi DL (5), in suo ad Zeno-

(1) De Anastasio et Anastasiis Cf. J. Kumpfmüller, *de Anastasio Sinaïta.* Ratisb. 1865. — Pitra, *Juris Eccl. Gr.*, T. II, p. 235-294.

(2) *Patrol. Gr.*, T. LXXXIX, p. 145.

(3) *Ibid.* p. 156.

(4) Photii verba, cod. CCXXIX : ὃς τῶν ἱερῶν τῆς Ἀντιοχείας θεσμῶν ἡγεῖτο, sic Schottus latino sermoni tradidit : *qui de sacris Antiochiae legibus narrat.* Caveant Philologi et Photianæ *Biblioth.* exploratores ut ne commentitium librum defleant.

(5) Ul. Chevalier, *Répertoire des sources hist.*, p. 647.

bium Scholasticum Commentario, cap. V, *Isidori monachi clari, Alexandrini domo et inter praesules illustris, epistolas aliquot de multis adducit*. Ἰσιδώρου, τοῦ ἐν μονάζουσι περιβλέπτου (Ἀλεξανδρεὺς δὲ τὸ γένος οὗτος ἦν, καὶ τοῖς ἀρχιερεῦσιν αἰδέσιμος), διαφόρους ἐξ ἐπιστολῶν διαφόρων χρήσεις ἐπιφέρει (1).

5. — Stephanus demum cognomine ὁ Γόβαρος explanat quid pius sanctusque vir Isidorus de Theophilo et Cyrillo Alexandriæ episcopis senserit, deque Joanne Chrysostomo : καὶ οἵας ἔσχεν ὑπολήψεις ὁ εὐλαβέστατος Ἰσίδωρος ὁ τοῦ Πηλουσίου περὶ Θεοφίλου καὶ Κυρίλλου τῶν Ἀλεξανδρείας ἱεραρχῶν καὶ περὶ τοῦ ἐν ἁγίοις Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου, ὡς τοὺς μὲν ἕνεκα τῆς πρὸς τὸν Χρυσόστομον ἀπεχθείας ἐκάκιζε, τὸν δὲ ἐπῄνει τε καὶ ἐθαύμαζεν (2). Ex iis Evagrii, Ephræmi, Anastasii, Stephani satis convenientibus testimoniis, aliquis vitam Isidori tribus verbis absolveret : Alexandriæ in lucem susceptus, viginti fere annis Cyrillo senior, monasticis exercitationibus se addixit et Pelusium urbem suo nomine collustravit. Joannem Chrysostomum imprimis dilexit, et adversus Alexandrinos antistites tuitus est. In Nestoriana dimicatione, eam auctoritatem sibi constituerat ut patrio jure cum Cyrillo ageret, Cyrillusque eum singulari pietate veneraretur.

6. — Quis plura ac certa dabit ? Cyrilli silentium de suo *patre* Isidoro eo minus demiror, quod

(1) Photii *Biblioth.*, cod. CCXXVIII. *Patr. Gr.*, T. CIII, p. 964.
(2) *Ibid.*, cod. CCXXXII, p. 1104.

universæ Cyrilli quæ leguntur epistolæ aut relationes sunt, aut edicta, aut censoriæ animadversiones, nihilque amici et soluti animi præ se ferunt (1). Facundus Hermianensis, qui regnante Justiniano floruit (2), solus e latinis scriptoribus aliquid affert de suo : « Vir sanctissimus, inquit, et magnæ in Ecclesia Christi gloriæ, Isidorus presbyter Ægyptius Pelusiota, quem duo millia epistolarum ad ædificationem Ecclesiæ multi scripsisse noverunt, qui etiam pro vitæ ac sapientiæ suæ meritis, et pater ab ipso Cyrillo et honoratus est et vocatus, sic ei scribit, quin potius rescribit..... (3) » ; tum Facundus tres Isidori epistolas ad Cyrillum laudat de Nestorio et Joanne Chrysostomo conscriptas (4). Hæc omnia ante Isidorum Hispalensem cujus testimonium Heumannus tantopere desiderabat, ut nihil in re antiquius videretur.

7. — Venit Suidas tenuem ac jejunam enuntiationem sibi sumens, et hanc propter varietatem scripturarum in manuscriptis, ancipitem et controversam. Ἰσίδωρος πρεσβύτης, inquit, ὁ Πηλουσιώτης, ἀνὴρ ἐλλογιμώτατος, φιλόσοφός τε καὶ ῥήτωρ, ἐπιστολὰς ἑρμηνευούσας Θείαν Γραφὴν γ γέγραφε, καὶ ἄλλα τινά. Isidorum sacerdotali dignitate ornatum fuisse Facundus jam declara-

(1) De Cyrilli epistolis cf. J. Kopallik : *Cyrillus von Alexandrien*, Mainz, 1881. p. 337-350.

(2) Sic Gallandus, *Patr. Lat.*, T. LXVII, p. 521.

(3) *Pro defens. trium capitul.*, lib. II, cap. 4. *Patr. Lat.*, T. LXVII, p. 573.

(4) Scilicet libri I epist. 310, 324, 370.

vit, et aliquis ex sola rerum omnium circumspectione colligeret ; philosophum dici et rhetorem non vehementer demiramur, verborum significatione diligenter considerata. Sed de epistolarum numero ex contrariis scriptis ambigitur. In litterarum enim apice, qui sæpe aciem fugit, aut supposito, aut imposito, millia constant. Atqui in hoc loco Suidæ de apice elementi γ qualis sit in dubium venit. Sed Sirmondus, vir prudens et auctoritate gravis, rem aperuit majoris etiam momenti : « cæterum, ait, ad decem millia (nempe epistolarum) scripsisse Isidorum, atque in his ter mille Scripturam Sacram exposuisse, auctor est Suidas vel quem Suidas exscripsit (1). Ἰσίδωρος πρεσβύτης ὁ Πηλουσιώτης, ἀνὴρ ἐλλογιμώτατος, φιλόσοφός τε καὶ ῥήτωρ, ἐπιστολὰς ἑρμηνευούσας τὴν Θείαν Γραφὴν ͵γ γέγραφε, καὶ ἑτέρας ͵ζ, καὶ ἄλλα τινά. » Miror equidem H. A. Niemeyer, tria ac septem millia computatione una comprehendentem novem millia reperisse (2). Sed nemo est tam doctus ac diligens cui nullus usquam error objiciatur.

8. — Inter libros Ecclesiæ Græcæ liturgicos principem locum sibi vindicat *Menologium* jussu Basilii Porphyrogeniti ex veteribus monumentis conflatum, « tum quod antiquissimum est, tum quod rerum

(1) Ad Facundum, *Patr. Lat.*, l. c.

(2) *De Isidori Pel. vita, script. et doctrina.* Halæ 1825. *Patr. Gr.*, T. LXXVIII, p. 52 : « Suidas vero (et ad Sirmondum se refert) novem, et Nicephorus decem millia epistolarum ab Isidoro scriptas (sic) esse affirmarunt ».

abundantia et auctoritate reliquis præstat, siquidem non privato alicujus arbritrio confectum est, sed ad publicum Ecclesiarum Constantinopolitanarum usum (1). » In priore hujus *Menologii* parte, quæ sex menses continet, a Septembri ad Februarium, sub die IV Februarii, imago picta Isidori eminet, cum hac laudatione : Μνήμη τοῦ Ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Ἰσιδώρου τοῦ Πηλουσιώτου. Οὗτος ὁ Ἅγιος Αἰγύπτιος ἐγένετο ἀπὸ πόλεως Πηλουσίου λεγομένης, υἱὸς εὐγενῶν καὶ εὐσεβῶν γονέων · συγγενεῖς δὲ ἔχων Θεόφιλον καὶ Κύριλλον τοὺς τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπους, ἔμαθεν οὐ μόνον τὰ ἱερὰ γράμματα τῆς ἔσω γραφῆς, ἀλλὰ καὶ τῆς ἔξω, καὶ ἐγένετο σοφός. Ἀγαπήσας δὲ τὸν Θεὸν πλεῖον τοῦ κόσμου, κατέλιπε καὶ γονεῖς, καὶ πλοῦτον, καὶ δόξαν. Καὶ κατέλαβε τὸ ὄρος, τὸ πλησίον κείμενον τοῦ Πηλουσίου, καὶ ἐγένετο μοναχός. Ἐν ᾧ καὶ ἡσυχάζων, καὶ τῷ Θεῷ προσευχόμενος, καὶ τὰς βίβλους ἐκμελετῶν, τὴν οἰκουμένην ἅπασαν διὰ τῶν ἐπιστολῶν κατεφώτισε, πᾶσαν Γραφὴν δι' αὐτῶν ἑρμηνεύσας, καὶ πολλοὺς διορθώσας, καὶ ἐναρέτους ἐργασάμενος · οὐ μόνον γὰρ ἰδιώτας ὠφέλει διὰ τῆς διδασκαλίας τῶν ἐπιστολῶν αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ ἄρχοντας, καὶ ἐπισκόπους, καὶ βασιλεῖς. Δέκα δὲ χιλιάδας γράψας ἐπιστολῶν, καὶ καλῶς βιώσας, ἐκοιμήθη (2). *Menaea* et Melodorum hymni eamdem fere cantilenam canunt : addunt tamen ἐν γήρᾳ βαθεῖ (3) Isidorum e vita cessisse.

(1) J. Martinov, *Annus Ecclesiasticus Graeco Slavicus*. In *Act. Sanct.* Octobr., T. XI. Parisiis 1863, p. 2. — Voluit Baronius hoc *Menologium* jussu Basilii Macedonis fuisse editum. *Ann. Eccl.* A. 886, n° 14. Barri-Ducis 1868. T. XV, p. 391. Quem Allatius et Pagius, *ibid.*, p. 398 coarguerunt.

(2) *Menologium Graecorum jussu Basilii imp. Graece olim editum*, ed. card. Albani. Urbini, 1727. T. II, p. 160.

(3) Vidi ego hanc pulcherrimam Ant. Pinelli editionem Venetam 1614-1629, sine paginarum numeris. Februarii liber editus est ἐπιμελείᾳ καὶ ἐπιδιορθώσει Νικηφόρου Ἱερομονάχου τοῦ Πασχάλεως. 1627. Cf. in ultima edit. Ven. 1880. Μην. τοῦ Φεβρ., p. 23.

9. — Exsurgit tandem Nicephorus, qui, ut ob styli elegantiam *Thucydides Ecclesiasticus* ab aliis appellatus est, ita ab aliis ob fabulas quas miscet *theologorum Plinii* cognomen obtinuit (1); exsurgit, inquam, Evagrii spoliis ornatus et magna verborum volubilitate decantat : Ἤκμαζε δὲ μάλιστα Εὐθύμιος ..... Συμεών τε..... Νεῖλός τε..... ὅ τε τοῦ Πηλουσίου Ἰσίδωρος, καὶ ὁ πολυθρύλλητος ἀσκητὴς Μάρκος, Ἰωάννῃ τῷ πάνυ μαθητευθέντες (2). Ἐκεῖνος Ἰσίδωρος, ὁ τοῦ Πηλουσίου ὄρους καθηγησάμενος, Νεῖλός τε καὶ Μάρκος οἱ περιβόητοι ἀσκηταί · ἔτι δὲ καὶ ὁ Θεοδώρητος ὧν εὐρὺ κλέος κατὰ τὴν ποίησιν (3) · διδασκάλῳ τῷ μεγάλῳ Χρυσοστόμῳ καὶ κατ᾽ ἄμφω φιλοσοφίας χρησάμενοι. Ὁ μὲν οὖν θεῖος Ἰσίδωρος..... et prosequitur non suam sed Evagrii orationem. Mox iterum de suo armario depromit : Καὶ δὴ πολλὰ μὲν αὐτῷ ἐγράφη ὠφελείας ἁπάσης ἔμπλεω · μάλιστα δ᾽ ἐπιστολαὶ, χάριτος παντοίας μεσταὶ, θείας τε ἅμα καὶ ἀνθρωπίνης, ὡσεὶ χιλιάδες δέκα, δι᾽ ὧν πᾶσαν τε Γραφὴν σαφηνίζει... κ. τ. λ. (4) In cœlum enim laudibus tollit Isidori epistolas et virtutes, atque adversus Arcadium et Cyrillum et Theophilum robustam stabilemque animi fortitudinem (5).

(1) Ita Fabricius. *Biblioth. Gr.*, lib. V, cap. 4. Edit. 1714, T. VI, 130.

(2) Niceph. *Hist. Eccl.*, lib. XIV, cap. 30. *Patr. Gr.*, T. CXLVI, p. 1156.

(3) Evagrium habes. Nicephori vero interpres, J. Langus sic vertit : *quorum magna laus est in poetica*, ut viros istos, velint nolint, poetas facere videretur. Cf. Valesii notam ad Evagrium : *Patr. Gr.*, T. LXXXVI, p. 2461.

(4) *Ibid.*, cap. 53, p. 1249-1253.

(5) Quatuor epistolas ad verbum refert : *ad Cyrillum* duas I, 310, 370; tertiam *ad Simonem monachum* quæ male in edd. *ad Symmachum* inscribitur, I, 152; quartam *ad Ophelium Grammaticum*, II, 42.

10. — Eos qualescumque auctores et têstes Isidoro suppeditat antiquitas, non falsos quidem dicam, imo satis idoneos, sed parum locupletes. Habemus hominem genere Alexandrinum (1), claris et piis parentibus natum, Theophilo ac Cyrillo cognatione conjunctum (2). Illum scimus, rejectis opibus et præsentis vitæ felicitate, secessisse in Pelusianum montem (3) ; arreptaque monastica vita, sibi istic vacasse, et cum Deo familiaritate ingressum, atque sacerdotio auctum (4), tantam sibi conciliasse auctoritatem, ut imperatoribus et Alexandrinis antistibus aliquando consilium daret, illi vero monentem audirent (5) ; Joannis Chrysostomi aut discipulum fuisse, aut certe patronum ac fautorem (6), decies mille epistolas, ut fama est, conscripsisse (7), in gravi tandem senectute e vivis excessisse (8). Aliquid tandem, quasi per nebulam videmus. Nostrarum partium erit ex ista caligine imaginem viri in lucem proferre. Prima exoritur quæstio periculosa, num *epistolarum* volumen, Isidori nomine in vulgus editum, revera ac sine dubio Isidori sit opus ; utrum epistolæ vere et proprie sint, ut epistolæ dicuntur, an fictæ et simulatæ ingenii exercitationes. Si quid

(1) Ephræmus.

(2) *Menolog. Basil.*

(3) Anastasius, *Menol. Basil.*

(4) Facundus, Suidas.

(5) Evagrius, Anastasius, Stephanus, Facundus, *Menol. Basil.*, Nicephorus.

(6) Stéphanus, Facundus, Nicephorus.

(7) Suidas a Sirmondo emendatus, *Menol. Basil.*, Nicephorus.

(8) *Menaea.*

enim fidei et auctoritatis his epistolis tribuendum, Isidorus ipse emicat, rerum suarum testis incorruptus, eo gravior quo modestior.

## CAPUT II

### DE HEUMANNI PARADOXO

ARGUMENTUM. — 1. *De Acœmetensium codicibus.* — 2. *De epistolis quæ nunc exstant Isidorianis.* — 3. *Heumanni sententia exponitur,* — 4. *distinguitur.* — 5. *De fictitiis epistolis in genere.* — 6. *De infausta hujusmodi epistolarum segete.* — 7. *De Æliano et Alciphrone epistolographis.* — 8. *De Ænea Gazæo et Theophylacto Simocatta.* — 9. *De Libanio.* — 10. *De solemni salutatione in epistolis.* — 11. *De epistolis Isidorianis ejusdem plane argumenti.* — 12. *De epistolis Isidorianis, quas Heumannus voluit ad homines vita defunctos fuisse inscriptas, scilicet ad Oribasium medicum,* — 13. *ad Prohæresium sophistam,* — 14. *ad Petrum apostolum.* — 15. *De Theano quodam qui nullam partem habuit cum Pythagora.* — 16. *De epistolis contumeliosis.* — 17. *De Isidori vita non omnibus quidem modis umbratili.* — 18. *De Isidoro sceleratorum hominum exagitatore.*

1. — Ex ipsis probatissimis Evagrii, Anastasii, Ephræmi testimoniis, constat ab Isidoro Pelusiota

aliquot scriptas fuisse epistolas, tum ad Cyrillum, tum ad alios hujus ætatis viros satis illustres. Quam multas vero epistolas illas exaraverit, res est in incerto posita. Facundus enim Hermianensis duo millia epistolarum Isidori commemoravit. Nicephorus vero et *Menologii* auctor majore liberalitate utuntur et decem millia epistolarum in vulgus emanasse affirmant. Suidas, aut antiquior ille historicus, quem Suidas exscribit, Nicephoro suffragari videtur, sed lectio Sirmondi, quam non sine aliquo timore accipimus, rem vero simillimam, non certam et manifestam facit. Neque grandiorem illum epistolarum numerum ita demiramur, cum intelligimus plerasque non epistolas, sed epistolia pusilla et minuscula dici posse. Inter omnes igitur convenit et Isidorum scripsisse epistolas et scripsisse permultas quæ vulgatæ passim et circumgestatæ postea in volumina relatæ fuerunt. Quod enim minime sæpe veterum monumentis obtingit, codices epistolarum Isidori, temporibus Justinianeis exstitisse novimus in Acœmetensium monasterio. Anonymus scilicet auctor *Synodici adversus Tragœdiam Irenaei,* se tredecim Isidori epistolas exscripsisse et transtulisse affirmat ex epistolarum ejus « duobus millibus quæ sunt per quingentenas distributæ in Acœmetensis monasterii codicibus vetustissimis quatuor, ubi etiam per ordinem singularum numerus continetur (1). » Hi sunt, ut ego

(1) *Patr. Gr.*, t. LXXXIV, p. 583-587. Falsa Baluzii et Lupi auctoritate in errorem inducitur Niemeyer, l. c. Voluit enim ista Anonymi verba Irenæo tribuere, *Tragœdiae* deperditæ scriptori. Verum Irenæus, comes quondam Orientis, Nestorio

arbitror et posthac manifestum faciam, primarii atque archetypi codices, quos posteri librarii parte aliqua descripserunt. Ea scrinia Facundus viderat, ea Nicephorus, Anonymi auctoris imitator, compilaverat (1).

2. — His igitur probe stabilitis, nunc exstant satis multi epistolarum codices, Isidori nomine inscripti. Mirifice congruunt res et tempora : Chrysostomus verbis amplissimis ornatur; de Pelusio, de Cyrillo, de Nestorianis litibus semel atque iterum tractatur. Si quem Isidori locum veteres attulerunt, in codicibus legimus iisdem verbis expressum.

amicissimus, *Tragœdiam* scripsit, dum in Arabia exsul degeret, circa annum CDXL. Constantinopolim profecto non rediit, quippe qui imperatori esset odiosus. Quanam ergo ratione in monasterio Acœmetensi duo millia epistolarum evolvisset Isidori, ætate sibi fere æqualis? Quomodo Isidorum virum Nestorio infensum appellasset *beatissimum ac sanctissimum Ecclesiae* doctorem? Quomodo illas epistolas elegisset quæ suis partibus minime faverent? Præterea Acœmetense monasterium vix decem aut viginti annos tum temporis conditum erat, ac valde timeo ut tam præclaros codices a suis cunabulis possederit. Cæterum error Baluzii non ad Isidori tantum epistolas spectat. Sex enim capita (I-VI) ad Anonymum Latinum scriptorem sunt referenda. Irenæus demum capite VI (bis) inseritur his verbis : *Testimonium quod Irenaeus posuit in opere suo*, etc. — De Irenæo, cf. Ceillier, *Hist. gén. des Aut. eccl.*, 1747, T. XIII, p. 444. — De monasterio τῶν Ἀκοιμήτων, cf. Bauer, *Wetzer und Welte's Kirchenlexikon*. Zweite Auflage, Freiburg, 1880, T. I, p. 381.

(1) Scriptorem quem Sirmondus attulit, in notis ad Facundum, *Patr. Lat.*, T. LXVII, p. 573, invito iterum Niemeyer, eumdem esse puto atque *Synodici* auctorem.

Nihil amplius optas, ut puto, sed omnem expectationem indicia et argumenta superant. Ipse Isidorus nomen suum profitetur atque epistolis signum imprimit. Ὁ ἐλάχιστος, inquit, γράφω Ἰσίδωρος (1) et sæpe alios Isidoros quosdam appellat sibi cognomines et ὁμωνύμους (2). Quin et illud accedit, quod uno epistolarum fasciculo ingenuo et vere Isidoriano reperto, omnes simul fasciculi probabuntur et fidem facient. In omnibus enim eamdem epistolarum formam, eamdem figuram dicendi agnosces, eosdem plerumque homines ad quos scriptum sit, nancisceris. Verumtamen in hac quæstionis parte, quæ facilis et prompta est, non immoramur.

3. — Venimus ad subtilem illam et absconditam suspicionem quam Heumannus injecit. Acer enim ille *Anonymorum* et *Pseudonymorum* investigator (3) plerasque Isidori epistolas opinatur non vere datas fuisse et allatas, ut fit in litterarum commercio, sed fictis argumentis exaratas, commentitiis nominibus inscriptas, tanquam rhetoricas exercitationes et specimina eloquentiæ. *Dissertationi* enim suæ *inaugurali* (4) titulum imponit *de Isidoro Pelusiota et ejus epistolis quas maximam partem esse fictitias demonstratur*. Et primum, inquit, « *Rhetorem* fuisse Isidorum nostrum, hoc est, eloquentiæ doctorem, haud ægre credimus Suidæ, cum

(1) Lib. I, 93.

(2) Lib. II, 234 et alias sæpe.

(3) Scilicet opus eruditissimum scripsit *de Anonymis et Pseudonymis*. Ienæ, 1711.

(4) Quæ publico examini permissa est die x Aug. 1737 in Academia Georgia Augusta. Vid. *Primit. Gotting. Academ.*, p. 210.

non solum Evagrius doceat, eloquentiæ nomine eum fuisse longe lateque clarum laudatumque, sed scripta quoque ejus abunde ei hanc laudem afferant ; imo ipsemet discipulorum suorum quemdam nominatim laudet, Palladium (1) ». Non magni æstimanda est in hac re Suidæ auctoritas, qui nihil aut perpauca de Isidoro rescivit. Illud insuper nomen *Rhetoris* non eum necessario significat qui eloquentiæ præcepta tradit, sed planius indicat disertum oratorem, aut scriptorem Rhetoricæ artis minime imperitum. Et hanc ipsam laudationem Evagrius et omnes alii quos nuper attulimus, Isidoro decernunt. Sed per me licet *rhetorum* pallium in Isidori collum conjicias ; ubi gentium sunt ejus auditores ? Puto enim Cyrillum patriarcham, et Rufinum Prætorii præfectum jam dudum ludo salutem dixisse et manum subduxisse ferulis. Ipsemet, ais, unum e suis discipulis laudat, Palladium. Scilicet ad lib. v, ep. 93 vocamur : Μετέσχες μὲν τοῦ τῶν μαθητῶν χοροῦ καὶ κορυφαῖος ἐδόκεις. Belle quidem cecidit ! Obvium habemus alumnum, non rudem, non unum de multis, sed totius scholæ principem ac signiferum. Isidorus deinde prosequitur : κορυφαῖος ἐδόκεις σφοδρότερον τῶν ἄλλων μεταδιώκων τὴν τῶν θείων Λόγων θήραν. Exspectabas *artis rhetoricae*, *oratoriae facultatis*, *epistolaris elegantiae aucupium*. Nequaquam agitur de litterarum studiis, sed de divinæ disciplinæ investigatione et Christianæ virtutis usu : « jam tui oblitus, non modo defecisse cognosceris, sed et voluptatibus, ut novi, te totum tradis. Bene itaque scito

(1) *Ibid.*, p. 215.

gravius esse malum, quod negligitur; atque in pristinum te cultum et ornatum quam maturissime revoca ». Adde Palladium tum temporis fuisse diaconum et annis viginti majorem et multas alias ab Isidoro epistolas suscepisse, a rhetoricis exercitationibus remotissimas.

4. — Heumannus præter Palladium, neminem suo nomine nuncupat ex Isidori discipulis; alios enim fuisse opinatur auditores qui se Isidoro in disciplinam tradidissent, alios homines jam firmatæ ætatis, ad quos magister epistolas dare fingeret. « Cum videlicet hasce epistolas perlegimus, justaque adhibita attentione perlustravimus, observare nobis visi sumus, plerasque esse fictitias ac rhetorico more compositas, non ut ii, quorum præfixa sunt nomina, eas acciperent legerentque, sed ut specimina essent eloquentiæ iis imitandæ quos haberet Isidorus artis dicendi discipulos..... Jam cum inter *progymnasmata* rhetorica non postremum tenerent locum epistolæ, non solum artem scribendarum epistolarum tradebant rhetores suæ alumnis disciplinæ, verum ipsi etiam effingebant epistolas, suisque discipulis exhibebant imitandas (1). » Tum exempla congerit, famosas illas Hippocratis et Phalaridis epistolas commemorat, et Æneæ Gazæi atque Theophylacti Simocattæ christianorum rhetorum commentitias inscriptiones, et Libanii quasdam dubiæ fidei litteras. Epistolographorum turba promiscue admittitur. Idcirco necesse ego habui rem a re sejungere, ut atra et alba discernam.

(1) P. 223.

5. — Quum animi sensa, tanquam sermone apud præsentes, ita inter absentes epistolis communicentur; nulla unquam fuit hominum societas sine litterarum commercio, nulla prorsus liberalium studiorum disciplina sine epistolari quadam exercitatione. Adeo nativa et insita erat omni puerorum institutioni scribendi epistolas consuetudo, ut in numero *progymnasmatum* numquam fuerit collocata (1). Progymnasmata enim, licet et ipsa antiquissima forent (2), artificiosum nescio quid præ se ferebant et oratoriæ disciplinæ subjiciebantur; epistolarum vero usus, ut ex ipsa humani generis conditione et ingenio ortus erat, ita sponte et nullius adminiculo crevit et effloruit. Illud tamen epistolare genus, per se liberum et integrum, minimeque rhetoribus mancipatum, græcis litteris senescentibus, in servitutem rhetoricæ et sophisticæ traditum fuit. Romanis præsertim magistratibus, aut barbaris regibus, præclaris sane viris, sed nullo modo, ut sæpe, philologis, operam præstitere scribæ plurimi, græcis omnibus institutionibus eruditi. Servulus, elegans epistolarum scriptor, ad pileum vocabatur;

(1) Id contra Heumannum, p. 223. Cf. E. Gros. *Etude sur l'état de la rhétorique chez les Grecs.* Paris, 1835, p. 55, 88, 90.

(2) « Causam profecto orare aut orationem scribere justam et integram opus omnino majus est quam ut adolescens aliquis id absolvat, longa inveniendi et scribendi consuetudine non pridem præparatus, usuque a minoribus ad majora, ut Scholiastæ aiunt, gradatim deductus et sensim erectus. Ut semel igitur rhetorica in ludo atque e cathedra pueros doceri cœpit, genus aliquod progymnasmatum omnis dicendi magister habuit. » D. Rebitté, *de Hermogene.* Parisiis, 1845, p. 20.

libertus eamdem viam ad summos honorès sibi aperiebat. Tum natura rei mutata, arte adulterata, artificium longius processit omnesque codicillos aspersit mendaciunculis. Alius enim e rhetoribus, vetere quodam ac nobili viro ab inferis excitato, fictitiarum epistolarum libros hoc magno atque illustri nomine honestabat; alius primas partes sibi expostulans, fœneos homines, ad quos scriberet, efformabat; alius omnes simul personas fabulæ, tum scribentium, tum legentium, solus sustinebat.

6. — Inde orta est infausta errorum seges. Eduntur ac circunferuntur *epistolae procerum mundi, regum, principum, rerumpublicarum et sapientum virorum* (1). Laboriose sed malis tamen ominibus (2) collegit Diogenes Laertius epistolia philosophorum *Thaletis, Pisistrati, Solonis, Chilonis, Pittaci, Cleobuli, Periandri, Thrasybuli, Anacharsidis, Epimenidis, Pherecydis, Anaximenis, Archytae, Zenonis, Pythagorae, Platonis.* Fuerunt et *Bruti* epistolæ

(1) Prodiere Latine Venetiæ primum, deinde Argentorati, anno 1593.

(2) Scripsit G. Cobet, *de Diogene Laertio fabularum pleno.* in *Mnemos*, VII, p. 52-55. Cf. Nicolai, *Griechische Literaturgeschichte*, T. III, p. 318-321. J. Scaliger, *ep.* 306 ad E. Vorstium : « de epistolis Hippocratis quod ex me quæris, antiquas eas esse scio, ut Democriti, Solonis, Pittaci Mitylenæi, quæ apud Laertium leguntur. Sed quia omnes illas quæ illis philosophis a Laertio attribuuntur multis argumentis confictas a Græcis, quibus nunquam mentiendi voluntas aut facultas defuit, probare possum, ideo cur et de his Hippocrateis dubitem justissima causa est. » Ita apud Fabric., *Bibl. Gr.*, T. I, p. 422.

ad Pergamenos, Rhodios, Coos, Patarenses, Caunios, Lycios, Cyzicenos, Smyrnæos, Myrenses, Milesios, Trallianos, Bithynos, Samios; et *ad Brutum* horum populorum responsa aut legationes. Ingratum Phalaridis tyranni nomen, nobile ac decorum nomen Hippocratis usurpaverunt subtiles quidam sophistæ atque etiam nunc sub his nominibus delitescunt. Ea enim fuit dissimulationis pœna, ut, quæsitis primum talibus integumentis, simulator in lucem jam se neutiquam expediret. In mendacio postquam deprehensus est, cadente persona, mansit anonymus auctor et inglorius. Atque ultimus epistolaris istius litteraturæ editor « personatos scriptores uncis coercere noluit ne ægre illis faceret qui vel post Bentleii aliorumque disputationes non sophistarum frigidulas fallacias, sed certos ipsorum regum, tyrannorum, poetarum, philosophorum partus intueri sibi videntur (1) ». Adeo patent fallaciæ rhetorum et in comperto sunt omnibus, ut ne monitum quidem iri peritos lectores necessarium judicet, creduliores vero, si qui supersint, negligat ac pene deridere videatur. In Isidorum vero hoc suspicionis genus non cadit : nullam personam sustinet, neque nomem suum commutat.

7. — Cl. Ælianus vero aliquid subtilius reperit, Atheniensium agricolarum (2) mores effingere nixus

(1) R. Hercher., *Epistologr. Gr.* 1873. *Praef.* p. IX.

(2) *Epistol. Gr.*, p. 23. Οὐ γάρ ἐσμεν οὔτε Λίβυες, οὔτε Λυδοὶ, ἀλλ' Ἀθηναῖοι γεωργοί. Hanc excusationem Phædrias suggerit ne Sthenoni mirum videatur si sapientius scripsit quam pro agrorum cultura.

est, personasque a Menandro et aliis novæ comœdiæ poetis delineatas, servatis fabularum nominibus, adumbrare contendit. Vir doctus, qui magnum sui reliquit desiderium, Car. Graux, insigne hujus artificii exemplum subministrat (1). Teste Choricio, Cnemon erat, apud Menandrum, homo δύσκολος et importunus. Hunc Cnemonem Ælianus revocat, omni generi humano insociabilem, ἁλμυρὸν γειτόνημα, quem Callippides quidam semel atque iterum allicit ut solvat supercilium et austeritatem hilaritate temperet. Cnemon autem atrociter et truculenter aspernatur. Alciphronis epistolæ similem prorsus speciem habent (2) : fingit Eudium Philoscapho, Galenæum Cyrtoni, Glaucum Galateæ, Cymothum Tritonidi, multos alios aliis multis scribere epistolas. Monstra nominum excogitantur : Chascobuces, Hypnotrapezus, Scorodolepsius, Rhaphanochortasus, etc., ut omnes parasitorum, scortorum, nebulonum libidines cognominibus significentur. Eamdem fere viam secutus est Aristænetus, si reipsa, ut vulgo fertur, amatorias istas narratiunculas unus ac verus Aristænetus lucubravit (3). — Fortasse ali-

(1) *Sur un texte nouveau relatif à Ménandre*, Annuaire de l'association pour l'encouragement des études grecques. A. 1877, p. 118-123.

(2) « Ein reiches und interessantes Material, Motive und Charaktere führten ihm die Dichter der neuen Komoedie, besonders Menander zu, und Alkiphron verstand hiervon Gebrauch zu machen. » Nicolaï, *l. c.*, T. II, p. 506. — G. Guizot, *Ménandre*, p. 67-89. Ed. 1866.

(3) Primus Mercerus suspicatus est nomen inscriptum primæ epistolæ (Ἀρισταίνετος Φιλοκάλῳ) translatum fuisse ad auctorem totius rhapsodiæ. Quæ Merceri sententia Berglero,

quid simile reperiri arbitraberis in Isidori epistolis eorumque nomina ad quos scribere videtur, non homines significare, sed hominum mores. — Minime quidem : Isaias, Petrus, Joannes, sancta et magna nomina, sæpe reprehenduntur. Nihil certe ad Isidori Hermogenem et Herminum Hermes pertinet, nihil ad Palladium Minerva, nihil ad Isidori Theophilum nauclerus ille Menandri λιπὼν Αἰγαῖον ἁλμυρὸν βάθος Θεόφιλος (1). Imo Eusebius sui nominis dissimillimus fuisse declaratur (2).

8. — « Non vero soli Ethnicorum rhetores, Heumannus subjicit, alienis ornatas nominibus excudebant epistolas, sed morem hunc suis quoque in scholis frequentabant rhetores christiani. De Æneæ Gazæi epistolis (nam etiam in his ficta esse nomina, quæ præscribuntur, certum habet Barthius) ut taceam, Theophylacti Simocattæ qui septimo vixit sæculo, similes epistolæ adhuc supersunt haud paucæ » (3). Miror Procopium Gazæum et Dionysium Antiochenum taceri ; oportebat enim totum fasciculum afferre. Verum de homine antiquiore Isidoro ferre judicium ex hominum recentiorum Æneæ (4) et Theophylacti exemplis, id prorsus a criticis rationibus

Pauwio et ipsi Boissonade satis placuit. Cf. *Aristaeneti Epistolae*, ed. J. F. Boissonade, Lutetiæ, 1822, p. VII–XIII.

(1) *Menandri fragm.* Ed. Fr. Dübner, Didot, 1838, p. 35.

(2) Epist. II, 122, 199 ; III, 178.

(3) *L. c.* p. 223.

(4) De Æneæ ætate, J. F. Boissonade *Æneas Gazaeus et Zacharias Mitylenaeus, de immort. animae et consummat. mundi.* Paris, 1835. — Stoeckl, *Kirchenlexikon*, art. *Æneas von Gaza.* T. I, p. 286.

alienum videtur. Sed id omittimus. Æneas scripsit ad amicos epistolas XXV (1) breves ac frigidulas quæ magis sapiunt rhetorem quam philosophum. Habent *odiosum ac fucatum nitorem* (2) Procopii et Dionysii epistolæ, sed nullam video causam cur ficta esse pronuntiem nomina Alphii presbyteri, Pampi grammatici, Juliani architecti, Gessii iatrosophistæ; atque imprimis scire aveo qua tandem injuria Barthium exagitaverint Æneæ sodales ut mortalium numero nominatim exturbentur. Theophylactus vero scholasticus, Ælianum et Alciphronem duces sequitur, licet non passibus æquis : Periclem, Socratem, Platonem fingit Aspasiæ, Alcibiadi, Axiocho scribentes, satis inepte disserentes atque omnem temporum ordinem perturbantes (3). Ne multis morer, levissima quædam est similitudo Isidoro cum Ænea, nulla prorsus cum Theophylacto.

9. — Tum demum ad Libanii epistolas Heumannus pergit : « Certe, inquit, haud paucas me legere scholasticas ac fictitias in mentem mihi venit cum primum legi *Centuriam* illam Libanianarum epistolarum quam anno 1711 primus edidit doctissimisque illustravit annotationibus J. Christoph. Wolfius, theologus pariter ac philologus summus. Vel prima illius centuriæ epistola id loquitur, *ad anonymum*

(1) *Epistologr. Gr.*, p. 24–32; cf. Nicolaï *Griech Literat.*, T. III, p. 225.

(2) Ita, R. Hercher de Procopii epistolis : *Epist. Gr.*, p. VIII, quas habet p. 533–598; Dionysii vero, p. 260–274. De utroque Nicolaï, *l. c.*, p. 223-226.

(3) *Epist. Gr.*, p. 763-786, Nicolaï, *l. c.*, T. III, p. 53-55.

scripta, hoc est *ad neminem* (1). » Inopinatum et mirabile argumentum, atque utrinque feriens ! Video quidem necessarium esse alterutrum : aut epistolam nomine quovis ornari, aut omni nomine carere ; nomen habet ? commentitium esse pronuntias ; nominis jacturam fecit ? clamas scriptam esse *ad neminem*. Ego non diutius sed diligentius ad hujus rei disquisitionem animum et mentem adhibere velim. Eodem fere anno quo Heumannus ita acute disputabat, Wolfius omnes quæ Libanii nomine ornabantur epistolas edidit ac notis instruxit (2). Exceptis viginti quinque propemodum (3),

(1) *Prim. Gotting. Acad.*, p. 224.

(2) Amstelodami 1738.

(3) In rem meam perquam opportunum duxi eas e Libanianis epistolis enumerare quæ apud alios epistolographos simul reperiuntur :.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Epist. Libaniana | 1087 | eadem est atque | 2 | Dionysii Ant. |
| » | 1108 | » | 1 | » |
| » | 1188 | » | 33 | » |
| » | » | » | 30 | Synesii. |
| » | 1204 | » | 15 | Procopii. |
| » | 1559 | » | 90 | » |
| » | 1562 | » | 93 | » |
| » | 1563 | » | 95 | » |
| » | 1564 | » | 53 | » |
| » | 1565 | » | 101 | » |
| » | 1566 | » | 25 | » |
| » | 1567 | » | 113 | » |
| » | 1569 | » | 91 | » |
| » | 1570 | » | 94 | » |
| » | 1571 | » | 98 | » |
| » | 1572 | » | 56 | » |
| » | 1574 | » | 27 | Phalaridis. |

Id ex *adnotatione critica* R. Hercher, *Epistol. Gr.* p. XI-LXXXV.

græcæ omnes epistolæ ab eruditissimo quoque probatæ sunt, neque ullum commentitiæ exercitationis signum in eis aliquis deprehendit (1). Oratoriis sane ornamentis Libanius intemperantius utitur, copiose atque effuse auget omnia et cincinnis cumulat. Sed habet quisque suam formam dicendi, quam in exarandis epistolis sectatur. Comptam et calamistratam orationem Libanius habuit, ac tantum abfuit ut intra scholæ parietes fictas epistolas recitaret, ut litterarum missarum assiduitate et crebritate viros omnes sui temporis inclytos expleret, ipse suis schedulis et chirographis alios nobilitaret, alios optime de se merentes cumulatius remuneraretur. Accedit illud : etiamsi Libanius, qui dicendi præcepta ac scribendi se tradere profitebatur, fictam elegantissimæ epistolæ imaginem de suis tabellis aliquando proposuisset, longe aliam rationem fuisse contenderem Isidori monachi, qui cum summa humanitate summam severitatem junxit, ac sæpe-

(1) Permagni momenti esse Libanii epistolas in re historica ostendit Nicolaï. *Gr. Lit.*, T. III, p. 208-209. Cf. E. Monnier. *Histoire de Libanius. Examen critique de ses mémoires.* Paris 1866, p. 161 : « La seule édition que nous ayons des lettres de Libanius est celle de Christophe Wolf. Elle comprend deux séries, l'une de lettres grecques, au nombre de 1605, l'autre de 522 lettres latines publiées par Sommerfeldt. Celles-ci sont pour la plupart, des pièces apocryphes, dépourvues de valeur. Les autres, sauf une dizaine qu'on trouve dans différents recueils de lettres, ou qu'on peut croire supposées (par exemple lettre à S. Basile), méritent toute confiance ». Contuli etiam L. Petit : *Essai sur la vie et la correspondance de Libanius.* Paris, 1866. Neque illic aliquid repperi quod ad Heumanni sententiam accederet.

numero edocuit vanam esse atque præ veritate spernendam omnem scribendi venustatem et subtilitatem. Sed commodius in alio loco id argumentum versabimur.

10. — Eo modo universis epistolographorum exemplis consumptis et contritis, Heumannus ad proprias et intimas quas vocat probationes se convertit, ut plerasque Isidori epistolas ex officina rhetorica profectas atque in discipulorum gratiam solerter effectas esse demonstret. « Primo scilicet multæ carent forma epistolari et aliquid dumtaxat exhibent quod epistola possit inseri commode et eloquenter. Vel duas videsis omnium primas epistolas (1) : quas perfectas esse epistolas nemo dixerit. Scilicet cum *gnome* magnum habeatur seriæ epistolæ ornamentum, tales hic exhibentur ingenti numero, omisso et χαῖρε et ἔῤῥωσο. Non est quod exempla producam plura : adeo multa sunt, adeo obvia et exposita » (2). Heumannus, etsi haud adeo perspicue loquitur, tamen ni fallor, ita fere quærit : quo pacto, si vere epistolæ sunt, non umbratiles quædam commentationes, epistolarum formulis carent, ac *valere, bene habere, salvere* non jubent? Equidem melius interrogarem qua ratione,

(1) Prima est *ad Nilum monachum* : Οἱ μὲν ἅγιοι τῆς μοναχικῆς φιλοσοφίας κορυφαῖοι. Explicat Isidorus quid sit ἀποταγὴ seu secessio a rebus caducis et quid ὑποταγὴ sive obedientia. — Secunda *ad Dorotheum monachum* : Ἄνθρακες ἀνήφθησαν ἀπ' αὐτοῦ. Isidorus *Ps. IX, v. 9* interpretatur.

(2) *L. c.*, p. 224.

si specimina eloquentiæ Isidorus effecisset, manca et mutila reliquisset, ut et pes et caput istis absolutis epistolis deessent. Non enim modo plerumque, ut ait Heumannus, sed fere semper ab Isidoro omitti fateor istas salutationes. Scire vero pervelim, quisnam græcarum epistolarum liber illud *seriae epistolae ornamentum* præ se ferat. Solent belli homines latine dicere : *cave ut valeas : si tu vales, bene est*, *ego valeo*, et alia hujusmodi : a græcis vero scriptoribus, εὖ πράττειν et ea quæ Heumannus tantopere desiderat, quamquam ab auctoribus adhibita fuisse non infitior (1), ab iis sane qui illustrium virorum epistolas in lucem prodiderunt, prætermissa esse deprehendo. Simili tandem ratione atque Isidorus epistolas confecit, Basilius, Gregorius, Theodoretus confecere. Vix semel et iterum in sexcentis eorum epistolis solemnia salutationis verba reperies, quæ quamtumvis omissa, tacite intelliguntur.

11. — « Huc refero, ille ait, nonnullas ejusdem plane argumenti epistolas ; quod ipsum certo est indicio, rhetorem nostrum ostendere voluisse suam dicendi copiam. Hujus generis sunt libri quarti epistola secunda, tertia et quarta, in quibus quidam *Psalterii* locus eodem quidem modo sed verbis tractatur arte variatis. Idem reperies si contuleris in libro quinto epistolas 289 et 519. Haud vero facile inveneris epistolam exercitium scholæ rhetoricæ

(1) Προσήκει μέντοι τῷ γράφειν βουλομένῳ..... οὕτως ἀπάρχεσθαι · « ὁ δεῖνα τῷ δεῖνι χαίρειν », οὕτω γὰρ ἅπαντες οἱ ἐπὶ σοφίᾳ τε καὶ λόγοις διαπρέψαντες παλαιοὶ φαίνονται πεποιηκότες. Ita Proclus, *de forma epistolari* apud *Epistologr. Gr.*, p. 8.

magis sapientem quam illam libri II quæ locum tenet 153... Quis, quæso, serio ita scribat ad quemquam? » (1) Zosimus impius sacerdos, in omni genere flagitiorum volutatus, perverse hac psalmorum precatione abutebatur : Καθήλωσον ἐκ τοῦ φόβου σου τὰς σάρκας μου. Isidorus in prima epistola (2) nefarium hominem gravi objurgatione conscindit, in secunda sacrorum verborum vim interpretatur, in tertia nihil adeo vehementer repugnare ostendit quam tales obsecrationes ab ore impuro et mente conscelerata proficisci. Ita fusius H. A. Niemeyer (3), cujus omnis disputatio veri speciem præ se fert. Aliquis tamen non minus probabiliter diceret non tres esse ad Zosimum epistolas, sed tres unius epistolæ partes, et eas ratione omnino diversas. — Quod ad epistolas lib. V, 289 et 519 spectat, si ad hanc inanem, quam dicit Heumannus, ubertatis suæ ostentationem Isidorus animum retulisset, spe certe lapsus esset, discipulosque reperire meruisset referendæ gratiæ haudquaquam studiosos. Neque nos illius vicem doleremus, sed magistrum imperitum exploderemus. Quis est enim qui dicendi copiam probaturus, ita rationem instituat et rem suam adeo prodigialiter variet?

| Ad Isidorum episcopum. | Ad Strategium monachum. |
| --- | --- |
| Εἰ καί τινες δεινοί εἰσι παραλογιζόμενοι μὲν λαθεῖν, ἁλόντες δὲ παρακρούσασθαι · ἀλλ' ὁ σοφὸς κρείττων τούτων ὢν φωράσει μὲν τὴν ἀπάτην, διελέγξει δὲ τὴν δεινότητα. | Εἰ καὶ εἰσί τινες δεινοὶ μὲν ἀπατῶντες λαθεῖν, δεινοὶ δὲ φωραθέντες παραλογίσασθαι · ἀλλ' ὁ θεοφιλὴς κρείττων τούτων εὑρίσκεται. Σοφὸς μὲν ὢν συνιδεῖν τὴν ἀπάτην, σοφώτερος δὲ διελέγξαι τὴν ἐν τοῖς λόγοις κρυπτομένην δεινότητα. |

(1) *L. c.*, p. 224–225.
(2) Lib. IV, 2, 3, 4.
(3) *Patr. Gr.*, T. LXXVIII, p. 40–41.

Hoc certe non rhetoris est qui flumen orationis suæ venditare cupit, sed viri boni et simplicis qui ad diversos scribendo in eamdem sententiam revolvitur. — At saltem subtilis dicendi artifex hos infinitos verborum laqueos ordinavit et immensum portentosumque soriten accumulavit : scilicet nefarios homines Isidorus monet diligenter, quominus in sermonem et vituperationem hominum venirent et infamia inurerentur. Ἐγὼ μὲν ταῦτα ἀκούσας, λίαν ἐπλήγην τὴν ψυχήν. Ὑμεῖς δὲ σκοπεῖν δίκαιοι ἂν εἴητε, ὅπως ταύτην ἐξαλείψοιτε τὴν κωμῳδίαν. Ἐξαλείψετε δὲ, εἰ γνωσιμαχήσετε · γνωσιμαχήσετε δὲ, εἰ πεισθείητε ἀληθεῖς εἶναι τὰς ἱερὰς Γραφάς · πεισθείητε δὲ, εἰ συνεχῶς αὐτῶν ἀπολαύσητε..... (1) « Sed ohe, Heumannus exclamat, jam satis est ». Atque ita invictus noster fabricator turrim ædificat *decem et octo* istiusmodi tabulatis. « Quis, quæso, serio ita scribat ad quemquam ? discipulis vero exhiberi tam longum illius figuræ, quam κλίμακα vocant, exemplum, minus fuerit inconveniens, minus ineptum (2). » Fateor opus Isidori vere operosum esse et non molli brachio tractabile, tu vero quomodo asseverare potes immensas istas substructionum moles a sapienti quodam architecto tanquam ornatissimæ ædificationis specimina fuisse exstructas. Tales orationis vitiositates, in Isidoro veras sed quotidianas et creberrimas epistolas texente, moleste quidem sed leniter ferimus ; in Isidoro rhetoricæ disciplinæ doctore et mercenariarum epistolarum scriptore, non modo non pateremur, sed omnino non intelligeremus (3).

(1) Lib. II, 153.
(2) *L. c.*, p. 225.
(3) Cf. Niemeyer, *l. c.*, p. 43.

12. — « Alterum argumentum quo confictum imus plerasque Isidori epistolas esse fictitias, inde petimus, quod nonnullæ scriptæ sunt ad eos qui vivere dudum desierant. Libri I Epist. 437 est ad Oribasium, medicum Juliani imperatoris, adeoque dudum illuc avectum, unde nemo redit : id quod non advertens Fabricius vitæ Oribasii ab se descriptæ hanc epistolam inseruit, tanquam vere redditam Oribasio. Est vero et hoc animadversione dignum quod eodem in libro similis exhibetur epistola 391, medico cuidam et ipsa inscripta : ut etiam hoc sit documentum variationis rhetoricæ ». — Fabricius et omnes alii qui oculos habent, *adhuc superstitem vixisse Oribasium* contenderunt, anno 395, *cum Eunapius amicus ipsius libros sophistarum componeret* (1). Minime igitur repugnat Isidorum jam quadragenarium ad senem scripsisse epistolam modestissimam ac plenam laudibus, et medico nobilissimo suasisse ut aliam sublimiorem animæ medicinam, id est sanam religionem et fidem amplecteretur (2). Ego vero in re verisimillima non immoror. Scripsit Isidorus, si ita potius videtur, ad Oribasium medicum nescio quem (3) ; quid erat causæ cur Heumannus artis medendi principem excogitaret ? Impetum obiter facit in Dometium alium medicum (4) quem neminem omnium fuisse significat, sed tantum umbram hominis, perinde

(1) Verba sunt Fabricii, T. XII, p. 640. Cf., *Œuvres d'Oribase*, Ed. Daremberg, T. VI, *préf.* de M. Molinier, p. III.

(2) Τὴν λείπουσαν ὑγιείαν προσκτώμενος, lib. I, 437.

(3) Cf. Niemeyer, *l. c.*, p. 43.

(4) Lib. I, Ep. 391.

ac si Pelusiotis civibus ægrotare et medico egere non licuisset. Causam inanem interserit : simillimas esse ad Oribasium et Dometium epistolas : sed longe diversas esse patet ; in utraque enim medicina laudibus effertur : alter vero medicus, alta quadem mente et sapientia præditus, ad aliquid altius et excellentius erigitur ; alter, μικρὰ θεραπεύων τραυμάτια, μεγάλα δὲ νοσῶν ἐξελκώματα, graviter et acriter, ut suos ipsius mores curet, urgetur.

13. — « Oribasii, quem diximus, tempore etiam Proæresius vixit, sophista Christianus : ad quem proinde non scripta, sed ficta sit necesse est Epist. 108 libri I. » (1) Profecto hoc vere dicit Heumannus Proæresium rhetorem ante Isidori tempora naturæ concessisse. Jam dudum Gregorius præclarum oratorem, Atticæ βροντὴν νεόκτυπον funebri carmine laudaverat.

σοφιστῶν
Πᾶν γένος ὑψιλόγων εἶκε Προαιρεσίῳ.
Εἶξε μέν · ἀλλά μιν ἔσχε μόρῳ φθόνος. (2)

Non tamen Isidorus Proæresio *sophistae*, Athenarum quondam ornamento, in litteris inferias afferebat, sed Proæresio *scholastico*, vivo homini, qui in foro Pelusiensi versabatur, consilium promebat. « Orationum congeriem habes, ut audio, quibus aures quidem oblectantur, animus autem minime alitur. At tibi *vivo sermone* opus est ; quo qui caret, nihil aliud est quam cymbalum tinniens.

(1) *L. c.*, p. 225.
(2) Gregor. Nazianz., *Op.*, Ed. Caillau, 1840. T. II, p. 1108.

Quocirca si eum insuper acceperis, canorum ac suave organum eris, Deoque et hominibus concinnum ». Alias identidem Isidorus Proæresium admonet de naturæ vi ac legum (1). *Scholasticus* enim erat apud hujus temporis homines qui causas in judiciis agebat. In manu est omnium H. Valesii locus : « *Scholastici* eo tempore advocati dicebantur, ut jampridem ab aliis observatum est, non quod in scholas relati essent sed quia juvenes ex rhetorum scholis profecti, artem hanc profitebantur » (2). Nota etiam Macarii Ægyptii verba, quibus monasticæ vitæ tirocinium simile esse pronuntians caussidicorum institutioni, *Scholasticum* idem sonare innuit atque δικόλογον (3).

14. — « Manifesto vero fictionem sui scholasticam prodit lib. V epistola 186; scripta quippe ad Græcorum liberos, eosdemque pueros qui fugere ludos jubentur et spectacula. Quid jam dicam de libri II epistola 251, *Petro* inscripta *apostolo* ? » (4). Pace Heumanni dixerim epistolam ad Græcorum liberos et verissimam esse et unam ex omnibus certissimam, ut alias copiose demonstrabo. Quod me vocat ad Petrum apostolum, nunc demum scilicet obmutesco. Si quas litteras Isidorus ad Apostolum exa-

(1) Lib. I, epist. 295, 296.

(2) *De vita et scriptis Socratis et Sozomeni. Patr. Gr.*, T. LXVII, p. 19. Cf. *Praef. in Evagrium*, T. LXXXVI, p. 2409.

(3) Ὅταν γένηται σχολαστικὸς, ὅλων τῶν δικολόγων ἀρχάριος καὶ ἔσχατός ἐστι. Macar. Ægypt., *Hom.* XV, nº 41. *Patr. Gr.*, T. XXXIV p. 604.

(4) *L. c.*, p. 225.

ravit et obsignavit, concedo vix aut ne vix quidem aliquem resignasse et respondisse. Verum suis momentis res ponderanda. Inscribitur epistola strictim : *Petro*. Incipit fere his verbis : « Duo hæc (o quonam te nomine nuncupem, ut virtutis tuæ meritum attingam !) in causa fuisse existimo cur homines ad divinam prædicationem libentibus animis accesserint, nimirum et sermonem auctoritate et fide plenum, et prædicantium mores. Alterum enim alterius nervus ac robur erat, nimirum sermo, qui fide dignus erat, et vita sermonem confirmans. Non enim alia prædicantes, alia faciebant (alioquin enim ridiculi fuissent, ut nonnulli nostræ tempestatis : nihil enim acerbi dicere volo) verum congruentem atque consentaneam sermoni vitam præbentes, homines subigebant ». Fuit igitur Petrus ille homo spectatæ virtutis; statim Heumannus apostolicam dignitatem fingit ; ut nuper Proæresium sophistam exagitabat, Athenasque appellebat, ita nunc ad Petrum Christianæ religionis signiferum omnia refert, Hierosolymisque et Roma potitur. Videre sibi videtur Isidorum Petro apostolo exponentem quomodo, quibus artibus et subsidiis Petrus et alii christianæ doctrinæ præcones, a superstitiosis ritibus ad unius veri Dei notitiam populos traduxissent. Atque ita suum doctorem edocens Isidorus obliviscitur illum suam partem tot ac tantorum laborum sustinuisse. Scribit enim : Οὐ γὰρ ἄλλα κηρύττοντες, ἕτερα ἔπραττον. Aptius erat ἕτερα ἐπράττετε. Scribit iterum : Πάσης περιεγένοντο τῆς ὑφ' ἡλιῳ, et paulo post : τὴν ἧτταν νίκης ἁπάσης καὶ τροπαίων ἡγήσαντο εἶναι λαμπροτέραν, et in clausula : οὐρανοπολῖται κατέστησαν. Necessarium

tamen : περιεγένεσθε, ἡγήσασθε, κατέστητε. Miror quidem Heumannum tam inanes, tam nugatorias rationes suggessisse.

15. — « Majori clariorique jure inter fictitias epistolas referimus lib. I, ep. 461 ad mulierem scriptam nomine Theano. Usa quidem hoc nomine est filia vel uxor Pythagoræ. Quæ cum fuisse legatur philosophiæ cultrix, noster Isidorus id nominis haud absurde affinxit mulieri christianæ professæ philosophiam, quam exhortatur, ut suæ professionis memor, ne studeat placere viris (1) ». Copiose novam hanc difficultatem quæ prorsus nulla est, Niemeyer solvit (2) ; ego tribus verbis concludam : in hac Isidori epistola neque Pythagoreos ullo modo attingi, neque ullam philosophorum familiam, neque mulieri suaderi ne studeat placere viris, neque omnino ad muliebrem sexum Isidorum respexisse. Epistola enim inscribitur Θεανῷ, non Θεανοῖ ; quod si is, quocum certamus, affirmat corrigendam esse inscriptionem et muliebres munditias in epistola perstringi, hoc non recte dicit. Perstringitur enim ἡ φιλοκοσμία, quod vitium commune est et mulierum et virorum. Age vero, sit illa mulier, sit Theano quædam ; cur respicis ad Pythagoream viraginem ? Ista ratione Isidorum deprehenderes ad Abrahamum patriarcham scripsisse, ad Archiam poetam, ad Theopompum historicum, ad Cyrum Persarum regem.

(1) *L. c.*, p. 226.
(2) *Pat. Gr.*, p. 44-45.

16. — « Confirmamus, inquit ille (1), sententiam nostram tertio argumento, quod suppeditant nobis epistolæ hujus operis contumeliosæ. Qui enim possumus credere homines illos, quos tam acri, imo petulanti sæpius censura vexavit Isidorus, omississe id inultum ? Quod si vero multis ii malis eum mulctarunt, qui, quæso, factum, ut ne levissima quidem occurrat hujus rei mentio » ? Tum generatim proscriptionem informat exploditque epistolas libri I 226, 275 ad Pelusiotas, alias sexdecim ad Eusebium episcopum, alias fere ducentas ad Zosimum, Maronem, Martinianum et Eustathium presbyteros. Sic late facta vastitate, exturbat etiam nonnullas epistolas ad Cyrenium, de Cyrenio, ad Theodosium imperatorem, ad Rufinum, ad Benjamin Hebræum, imo celeberrimas illas ad Cyrillum litteras, quas scriptores antiqui haud semel commemoraveruut, expellit, ejicit, extrudit. « Cæterum, ait, etsi fictitiæ sunt hæ epistolæ, ficta tamen non sunt quæ in iis leguntur, sed ex animi sententia scriptæ ab Isidoro ». Ex eo quod nunc dicit, alia ostenditur rerum facies. Nunc Isidorus non ficta hominum nomina, ut nuper, non fictas res, fictaque epistolarum argumenta excogitasse incusatur, sed de rebus verissimis epistolas finxisse et vera nomina his rhetoricis exercitationibus inscripsisse. Isthuc igitur signa convertenda.

17. — Falsa quidem hac opinione continetur omnis Heumanni argumentatio, quod quietissimam fuisse Isidori vitam atque in scholarum umbraculis

(1) *L. c.*, p. 227.

contritam putaverit. Omni enim asseveratione affirmat *ne levissimam quidem,* in epistolis Isidori, externarum inimicitiarum et simultatum *mentionem* occurrere. Sed bona venia omnium dixerim, dum ita existimat homo κριτικώτατος, in sole caligare videtur. Scribit enim Isidorus hoc modo ad diversos : « Si quis fructus ex reprehendendi libertate oriretur, nemini ipse hac in re cessissem, *etiamsi ob eam causam insidiis persaepe appetitus*, καίτοι διὰ τοῦτο πολλάκις ἐπιβουλευθείς (1) — Hæc scribo, non formidans hic aliquid perpeti, *multa enim hujus gratia, ut nosti, sum perpessus*. Πολλὰ γὰρ τούτου ἕνεκα, ὡς οἶσθα, πέπονθα (2). — Mihi enim *concessit Deus* non tantum ut in ipsum credam, sed etiam *ut pro ipso patiar* (3). — Libentius bene agendo *adversa patior* quam si mala agendo coronarer (4). — *Laboriosa mihi virtus est*. Ἐμοὶ εἰ καὶ ἐπίπονός ἐστιν ἡ ἀρετή (5). — Ego vero eam ob causam (scilicet infringendi im-

(1) Lib. II, ep. 122, ad Lampetium episcopum. Cf. J. Chatardi, *epist. dedicat. edit. Billianae*, Paris. 1585. « Totus in moribus informandis occupatus, virtutis locuples laudator et præco, et vitiorum acerrimus insectator. Unde eam ob rem in multorum offensionem et odium incurrisse sibique multas structas insidias alicubi testatur ».

(2) Lib. V, ep. 131 ad Paulum presbyterum anachoretam.

(3) *Ibid.*, Tillemontius hunc locum ita interpretatus est, ut in exilium Isidorus projectus fuisse videretur : « Il souffrit beaucoup pour avoir annoncé la vérité aux pécheurs, et fut, ce semble, banni pour ce sujet ». Sed hac conjectura nihil incertius. Cf. *Mémoires pour servir à l'Hist. Eccl.*. Paris, 1771, T. XV, p. 103.

(4) Lib. V, ep. 223 ad Harpocram rhetorem.

(5) Lib. V, ep. 229 ad Jacobum lectorem.

piorum furoris) periculum omne contemno (1). — Equidem, non enim meam occulere volo infirmitatem, non raro pro iis deprecatus qui ex casu quodam et in quibusdam rerum eventibus mihi adversati fuerunt, deinde vero id ipsum pro iis facere tentans *qui de industria et studio* mihi adversarentur ὑπὲρ τῶν κατὰ μελέτην καὶ σπουδὴν [ἐχθρῶν], sane tum expertus sum quod non nisi ore tenus prius id fecissem » (2). Quæ et alia ejusdem argumenti verba nunquam Heumanni aciem fugissent, nisi quod præjudicatus error lumen animi exstinxisset. Verumtamen nemini dubium esse potest quin Isidorus nonnullos sibi infensos habuerit, graves inimicitias subierit, atque aperte et ingenue declaraverit se expletam perfectamque patientiæ formam in istis acerbitatibus perferendis nondum esse assecutum.

18. — De singulis quas fictas esse voluit Heumannus epistolis separatim disputare supervacuum judicavi. Nunc autem id ultimum generatim et præcise statuendum : Heumanni quidem sententia, molestas et contumeliosas epistolas *non scribebat* Isidorus *ad gravissimos viros, easdem vero scribebat de gravissimis viris*, et scribebat non quidem ex occulto ac furtim, sed luce et palam, non in abditis et penetralibus focis, sed in ore atque oculis discipulorum. Has quasi ludicra exercitatione recitabat, puerorum auribus inculcabat, puerorum manibus tradebat studiose lectitandas, exscribendas, memoria

(1) Lib. I, ep. 389 ad Therasium, qui Arianis partibus favebat.
(2) Lib. V, ep. 498 ad Theodosium presbyterum.

comprehendendas, imitatione exprimendas. Raram et insolentem docendi viam! Viros auctoritate florentes, sacris infulis ornatos, amplissimis reipublicæ honoribus cumulatos in contumelias assumit ludi magister et adolescentium ludibrio tradit, et hoc non semel aut passim, sed sæpe, sæpissime, imo centies et sexcenties (1). Viros spectatissimos vehementioribus in dies convitiis appetit, lacessit, opprimit ; si quis vero de suis injuriis expostulat, effrenatamque istam rhetoris rabiem coercere, justisque ac legitimis pœnis mulctare enititur, queribundus ille se injuste læsum putat, se indignissime violatum prædicat, se libenter Dei causa passum gloriatur! Et hunc rhetorem christianæ sanctitatis exemplum vocamus, hunc pio quodam cultu et honore veneramur, vafrum scilicet et tenebricosum convitiatorem! Ejusmodi est ista Heumanni conjectura, ut ab hominum sensu ac fide admodum abhorreat. Quam verior illa Isidori imago quam nos, ex ejus ingenii monimentis, non nostro arbitratu ac libidine exprimimus: scilicet homo erat claritudine generis et eximio virtutum splendore apud omnes gratiosissimus. Qui, quum universis rebus humanis præstantior esset et ardore quodam sacro alienæ salutis conflagraret, tum integro atque soluto animo agebat, tum magna verborum libertate utebatur.

(1) Illud enim notandum puto, nempe ex iis *rhetoris*, quoniam ita volunt, tam multis exercitationibus, quinquaginta ad summum epistolas agere de rebus litterariis, mille vero de moribus, quingenas et plures quingenis, querelarum et objurgationum plenas, atque de privatis quibusdam flagitiis scriptas, minime ad puerorum institutionem pertinere.

Non obscure et dissimulanter, sed apertissime amicos, pares, inferiores, superiores, monitis ac consiliis perurgebat, in vitium pronos sustinebat, male moratos persæpe et gravi objurgatione insectabatur. Sæpe quidem, ut conjectare licet, quas Deo quærebat animas, Deo conciliavit ac devinxit, sed hanc præcipuam laudem sibi comparavit ut apud posteros non modo virtutum suasor perpetuus, sed sempiternus quoque scelerum vindex et sceleratorum hominum exagitator haberetur.

## CAPUT III

### DE CERTIS TEMPORIBUS IN VITA ÍSIDORI

ARGUMENTUM. — 1. *Isidorus perraro de se loquitur.* — 2. *De epistolis scriptis ante annum* CD. — 3. *De epistolis quas Tillemontius voluit esse scriptas post annum* CDXLIII. — 4. *Quæritur utrum Dioscorus, an Cyrillus* Φαραωνίζεσθαι *ab Isidoro arguatur.* — 5. *Nulla epistola Isidori exstat, post annum* CDXXXIV *exarata.*

1. — Isidorum Theodosio juniore imperante floruisse Evagrius omnino statuit. Sed illud nimis generaliter definitur. Idcirco in tota Isidori temporum ratione penitus intelligenda, præcipue nunc laborandum. Exstitere quidam epistolarum scrip-

tores qui ita in foro versarentur, ita publicis negotiis incumberent, ut eorum epistolæ *historiam contextam illorum temporum desiderare* (1) non sinant. Exstitere alii qui propriis ac domesticis rebus mentem adeo deditam haberent stylumque adstrictum ut totum vitæ suæ curriculum et quotidianas varietates in epistolis exprimerent. Secus alio modo litterarum consuetudine Isidorus usui est. A forensi enim strepitu, ut monachus, se removerat, missos fecerat honores, missamque hominum existimationem; utilitatis suæ rationem nullam habere debebat, imo ut semetipsum ex animo ac memoria evelleret, omni ope annitebatur (2). Eam ob causam perraro accidit ut de se Isidorus vel obscure verbum faciat, linguamque resolvat monastica abdicatione constrictam; habent tamen suam significationem inscriptiones litterarum atque ipsæ litteræ, certumque aliquando tempus designant.

2. — Theodosius Junior regnum auspicatus est anno CDVIII. Nulla est Isidori epistola ad Arcadium, nulla ad Theodosium magnum, nisi si quis unam ex duabus quæ ad Theodosium inscribuntur, ad avum, non ad nepotem, missam existimet, et Isidorum arbitretur, post cruentam illam Tessalonicensium cædem, Ambrosio auxilium attulisse et natura asperum principem, modice quidem aut etiam intra modum, sed aliquo tamen modulo redarguisse (3).

(1) Ita de Tullio, Cornel., Nep., *T. Pompon. Atticus*, XVI.

(2) Lib. I, ep. 92, 266.

(3) Lib. I, ep. 35. *Theodosio imperatori:* ἡμερότητι κίρνα τὴν ἐξουσίαν.

Verum aliquid certius et exploratius consectamur. Semel atque iterum Isidorus a Rufino prætorii præfecto opem imploravit, ut Pelusiotas iniquis magistratibus oppressos levaret. Primum, ut arbitror, magno Theodosio adhuc imperante, sed Rufini consiliis plerumque assentiente (1), Gigantius quidam erat, ortu Cappadox, homo perdita nequitia, omnibus flagitiis contaminatus qui jam nescio quam muneris publici procurationem Pelusii habuerat. Istum Gigantium provinciæ præfecturam parum decoris artibus aucupantem, Isidoro ac Pelusiotis deprecantibus, Rufinus provincia prohibuit. Pelusium venit in locum Gigantii Cyrenius, vix Cappadoce potior, qui omnia turbavit et miscuit. Interea Theodosius emoritur, Rufinusque sub Arcadii nomine orientali imperio præest. Iterum ergo a Rufino Isidorus auxilium efflagitat (2). Id anno CCCXCV, si quid conjectura assequi possum. Fortasse Isidori epistola nunquam a Rufino soluta est : periit homo præpotens, atque vitiorum pœnas tulit gravissimas, necem nefariam et execrationem civium. Cyrenius vero, periculo defunctus, suam provinciam retinuit. Ex iis autem perpaucis Isidori epistolis quæ definiti temporis indicium habent, veterrimæ videntur illæ duæ ad Rufinum inscriptæ.

(1) Lib. I, ep. 489. *Rufino, Praetor. Praef.* Ὑμεῖς δὲ τὴν βασιλέως γνώμην πρὸς ὃ βούλεσθε ἔχετε.

(2) Lib. I, ep. 178 *ad Rufinum* : Ἢ τὰ Πηλουσιωτῶν ἁμαρτήματα, ἢ τὰ Ῥωμαίων μέγιστα πράγματα ἃ διέπεις εὐμενῶς, λαθεῖν σε τὸν παναρχῆ εὐεργέτην ἐποίησεν, ὅπως Κυρήνιος τῆς ἀρχῆς ἐπελάβετο.

3. — Ab eo igitur tempore, scilicet ab anno CCCXCV, Isidorus innumeras cœpit scribere epistolas. Verum quot circiter annos hanc litterarum assiduitatem produxit? longum sane tempus,

res si qua diu mortalibus ulla est.

Nonnullæ enim epistolæ de Nestorianis controversiis tractant, de Ephesino concilio, de acerrimis Cyrilli et orientalis sectæ contentionibus (1) quæ non ante annum CDXXXIII conquievere (2). Illud quidem in præsentia est atque ante oculos. Tillemontius vero multo longius progreditur et quasdam epistolas affert quibus Isidorum usque ad annum CDXLIX vitam egisse efficit, aut potius efficere nititur. Ita enim rationem init (3) : Sæpe Pelusiacus doctor exsurgit in homines pravis opinionibus infectos, qui unam dumtaxat naturam in Christo

(1) Lib. I, ep. 310, 311, 323, 324. Lib. IV, 166. Cf. Facund. et Leontium supra.

(2) J. Hergenroether, *Kirchengesch*, I Bd. n. 183. *Trad. fr.*, T. I, p. 223. Kopallik, *Cyrillus von Alexandrien*, p. 192.

(3) *Mémoires*, T. XV, p. 113. « L'Église ne jouit pas longtemps de la paix qu'on avait tasché de lui procurer, puisqu'en l'an 448, Eutyche y excita une tempeste qui eut des suites bien plus funestes que la précédente, particulièrement en Égypte, où Dioscore, successeur de S. Cyrille, ayant embrassé cette hérésie, en infecta entièrement cette province. *Il y a bien apparence qu'il n'est pas mort avant le 4 de février de l'an 449 ou même 450*, puisque l'hérésie ne pouvait pas avoir encore fait un si grand progrès en si peu de temps. » — Cf. Ceillier, *Aut. eccl.*, T. XIII, p. 603 : « *Il vivait donc encore l'an 449.* » Consentiunt Fabricius Hambergerus, Rosenmullerus, apud Niemeyer, *l. c.*, p. 26.

esse dictitabant. Porro impii illius erroris procreator fuit Eutyches, neque Eutyches ante annum CDXLVIII novam istam luem in populos diffudit. Recte quidem ex hac argumentatione conficeretur Isidorum salvum fuisse ac superstitem, Eutyche furente, nisi aliquis forte exstiterit *Eutychianismus* ante Eutychis deliramentum. Etenim homines quidam minus docti, præcipue in Ægypto, quo magis strenue agebant contra Nestorium, eo procliviores erant ad errores contrarios. Tantum quod Nestorius Christum unum in duos diviserat, quum multi divinitatem ejus et humanitatem in unam naturam inclusere. Hoc semper fuit infelix hæresium genus, ut error alius alium moverit atque ex una scintilla et igniculo multa sæpe et magna incendia exarserint. Ipse quidem Cyrillus non ita cautus exstitit et prudens in verbis serendis, ut ab omni erroris periculo tirones quosdam e suis assectatoribus prohiberet. « Eutyches enim, Petavius ait (1), ex dictis patrum, male interpretandæ Dominicæ incarnationis qualemcumque causam habuit, aut se habere finxit. Præcipuam vero illi occasionem errandi Cyrillus præbuit : quo potissimum auctore ac patrono tam ille, quam ab eo propagatæ sectæ omnes gloriari solebant (2).... Quod quidem Cyrilli dictum, etiam Catholicorum judicio perobscurum, ac non uno modo ab illis intellectum, ansam dedit

(1) D. Petavii *de Theol. Dogm.*, Antuerp., 1700, T. V, p. 38.

(2) In hanc præsertim suspicionem cadunt Cyrilli dialogus *quod unus est Christus*, Epistolæ *ad Acacium Melitenensem*, *ad Eulogium*, *ad Successum*.

nefariæ hæresis imperitissimo seni : qui pessime, ac contra Cyrilli mentem illud accepit». Eam ob rem, ut ego arbitror, cum videret Isidorus Cyrilli orationem aliquando fluctuare et ad perversam significationem posse trahi, eum summa libertate perstrinxit atque hac splendida dogmatum expositione instruxit: « Quod verus ac rerum omnium summus Deus, homo vere factus sit, *minime ab eo quod erat, demigrans, sed quod non erat assumens, ex duabus naturis unicus Filius existens*, ortus ac finis expers, recens et sempiternus, *ne ipse quidem infitias ieris* (1)». Ita Isidorus ante Leonem, ita *ad Cyrillum Alexandrinum*, id est ante Eutychianam tempestatem, quæ tandem quattuor annos post mortem Cyrilli coorta est. Potuit ergo Isidorus ante annum CDXLVIII Monophysitarum errorem impugnare, illudque Tillemontii argumentum severo cuique disceptatori parvum ac leve videbitur.

4. — Aliam vero rationem suggerit ex epistola quadam ad Hermogenem Rhinocoruræ episcopum depromptam. « Arundinea virga, cui nemo ferme inniti potest, est mens levitate atque inconstantia laborans, quæ cum scipionis instar esse existimetur, telum invenitur. Neque enim consistere potest, verum ad omnem ventum huc et illuc jactatur; atque interim tamen ea audacia est, ut

(1) Lib. I, ep. 323. Ὅτι δὲ ὁ ἀληθινὸς καὶ ἐπὶ πάντων Θεὸς, ἄνθρωπος γέγονεν ἀληθῶς, οὔτε ὃ ἦν τραπεὶς, καὶ ὃ οὐκ ἦν προσλαβὼν, ἐκ φύσεων δυοῖν ὁ εἷς ὑπάρχων Υἱὸς..... οὐδ᾽ ἂν αὐτὸς ἀρνηθείης.

cum cedris se comparet. *Ægyptus rursum Pharaonem imitatur*, non jam illa quidem filiis Jacob illic peregrinantibus exstruendarum urbium laborem imperans, verum ab omnibus qui animi firmitate præditi sunt, *hacresium tributum exigens* (1). » Itane Isidorus loquitur de suo Cyrillo ? Ita de catholicæ sapientiæ principe ac magistro ? Cyrillus φαραωνίζεται hæresiumque tributa imponit ! Vides quo hæc spectat Tillemontii contentio (2). Cyrillum, Isidoro scribente, jam mortuum esse statuit. Dioscorus christianæ reipublicæ procella ac turbo, Dioscorus φαραωνίζεται, Dioscorus a fortissimo quoque φόρους ἀπαιτεῖ αἱρέσεων. Hanc ad Hermogenem epistolam erga Alexandrinum Antistitem minus suavem et amicam esse ego non infitior. Scio dictum sapienti sat esse. Tamen omnia expendenti remissior adhuc videtur Isidorus atque benevolentior quam ut adversus apertum falsi dogmatis propagatorem scripsisse putem. Quippe Ægyptus incusatur, non Alexandria ; provincia in crimen vocatur, episcopus minime. Certe in omnibus conciliis Alexandrini antistites militare potius imperium quam pontificialem auctoritatem obtinere videntur (3). Optatius

(1) Lib. I, ep. 419. Αἴγυπτος πάλιν Φαραωνίζεται..... φόρους ἀπαιτοῦσα αἱρέσεων.

(2) Tillemont, *l. c.*, p. 113. « *Aurait-il parlé de la sorte de S. Cyrille ?* »

(3) J. Hergenroether, *Kirchengesch*, T. I, n° 221. « L'archevêque d'Alexandrie, le premier en Orient, régissait les églises d'Égypte, de la Thébaïde et de la Lybie : c'est lui qui ordonnait tous les évêques et les instituait en leur conférant des pouvoirs déterminés , en sorte qu'*ils demeuraient en tout sous sa dépendance* ». (Trad. Belet, t. II, p. 391). Cf. ejusdem

habent nutu suo atque arbitrio subditos episcopos gubernare quam suam probare rationem. Obedientiores eos magis volunt quam firmiores in fide et disciplinæ tenaciores quam religionis. Solus Patriarcha in tota Ægypto vere et proprie episcopus incedit, solus rerum sacrarum princeps et fidei judex ubique comparet, homines vero quos mitra pedoque in cæterarum passim urbium præsules inauguratur, tanquam vicarios adhibet suæ dominationis et procurationis administros. Cyrillus morem servavit traditum a prioribus, et eo magis auctoritate valuit quod unus omnium maxime virtute ac scientia polleret. Solus in Ægypto Cyrillus cum Nestorio, cum Theodoreto, cum omnibus Antiochenis dimicat. Solus, mandatis a Romano pontifice acceptis, Ephesinum negotium attingit, sustinet, transigit. Quod dixit Cyrillus, pulchre ac firmissime dictum est; quod Cyrillus scripsit, non tantum delere sed omnino non tueri, omnes Ægyptii episcopi vererentur (1). Si quid ergo, Isidori judicio, Cyrillus minus recte dixerit aut scripserit, vere,

*Photius*, T. I, p. 28. «*In Alexandrien trat nur die Gewalt der Metropoliten dadurch in den Hintergrund, dass der Patriarch die Bischoefe aller Provinzen ordinirte, und vor allen Kirchen Ægyptens blieb seine Kirche in eminentem Sinne Metropole*».

(1) Nolim illud perperam intelligi. Nolim admirabilem virum et sanctissimum religionis interpretem tantulum offendere, sed pusillos oppido animos atque angustos habuere Ægyptii illi præsules qui, in Chalcedonensi concilio, tam turpiter et muliebriter trepidabant, quod Alexandrino antistite Dioscoro honoris gradu dejecto, aliquid per se sine duce statuere cogerentur. Cf. Labbe, *Sacr. Conc.*, t. IV, p. 510, sqq.

Isidori judicio φαραωνίζεται. Si transversum unguem a recta via deflexerit, φόρους ἀπαιτεῖ αἱρέσεων.

5. — Ea ratione arbitror omnia clara et perspicua fore. Quod autem Niemeyer excogitavit, epistolam ad Hermogenem tum demum confectam fuisse, ubi Cyrillus in gratiam cum episcopis orientalibus anno CDXXXIII redierat, Isidorum a partibus eorum fuisse qui Cyrillum, propterea quod pacem inierit, acriter vituperaverunt ; novum tandem Pharaonem, dum ad suas pacis conditiones fortissimum quemque adducere conatur, hæresium tributum exigere, hanc docti viri sententiam nos non probamus. In epistola enim ad Hermogenem non modo concordiam cum Antiochenis constitutam non vituperat, sed Eutychianam luem in dies serpentem potius reprehendit, quamvis et Nestorianis simul refugium intercludat : « Deus, inquit, humanitate suscepta, minime mutatus, aut commixtus aut divisus est. Unus est enim ortus expers et sempiternus Filius et ante susceptam, et post susceptam carnem, sic a nobis adoratur (1). » Cæterum etsi cui Niemeyeri conjectura aptior videretur, nihilominus probabile esset nullam Isidori epistolam exstare post annum CDXXXIV exaratam. Habemus igitur quadragesimum fere annum postquam de Gigantii et Cyrenii injuriis apud Rufinum questus erat. Sed illa ipsa vetus conquestio et expostulatio tam publice et tanta confidentia deferri non potuit, nisi a

(1) Ὁ Θεὸς γὰρ ἐπανθρωπήσας οὐ τέτραπται, οὔτε συγκέχυται, οὔτε διῄρηται. Ἀλλ ’ εἷς ἐστιν ἄναρχος καὶ ἀΐδιος Υἱὸς, καὶ πρὸ σαρκώσεως, καὶ μετὰ σάρκωσιν, οὕτω παρ ’ ἡμῶν προσκυνούμενος.

viro ætatis jam maturæ et summæ apud omnes auctoritatis. Ex iis argumentis probabiliter conficitur Isidorum trecentis et quinquaginta circiter annis a salute per Christum restituta in lucem fuisse editum.

# CAPUT IV

## DE ISIDORI STUDIIS ET ERUDITIONE

ARGUMENTUM. — 1. *Isidorus ad divinas litteras, cæteris posthabitis, primum se confert.* — 2. *Verumtamen assidua quoque manu versat exemplaria Græca.* — 3. *De studiis et lectionibus Isidori in solitudine degentis.* — 4. *Laudat imprimis Joannem Chrysostomum.* — 5. *Quæritur utrum Isidorus Chrysostomum Antiochiæ audierit.* — 6. *De Didymo Alexandrino.* — 7. *De subtili quadam argumentatione Lud. Bober.* — 8. *Quæritur utrum Isidorus ab Athanasio sacris fuerit initiatus.*

1. — Isidorus, Alexandriæ natus anno circiter post Christum CCCL, parentes habuit opibus ac fortunis ornatos. Nihil in præsentia est quod *Menologio Basiliano* fidem abrogemus et aliquam cum Theophilo et Cyrillo cognationem illum habuisse infitiemur. Universam studiorum rationem adeo diligenter coluit, ut et rhetoris et philosophi

nomina mereret. Ad divinas primum litteras, reliquis omnibus posthabitis, totum se contulit. Ex illius enim epistolis redolet sacra Judæorum antiquitas, ut Psalmorum, Prophetarum Evangeliique meditatione a primæ ætatis initio animum pavisse videatur. « *Scriptura*, inquit, est κανὼν τῆς ἀληθείας (1), ἐφόδιον τῆς σωτηρίας (2), τῆς πρὸς Θεὸν ἀναβάσεως κλῖμαξ (3), κάτοπτρον τὸ πνευματικὸν συνεχῶς μεταχειριστέον (4), illudque speculum non modo deformitatem ostendit, verum etiam, si velimus, in cœlestem quamdam pulchritudinem immutat». Sæpe, dum amplissimis laudibus divinorum scriptorum monumenta prosequitur, planum facit quam longe præstent pretio profanis libris omnibus atque multum iisdem utilitate et efficacitate antecellant.

2. — Verumtamen exemplaria græca sollicita quoque manu versavit. Poetarum, Historicorum, Oratorum, Philosophorum verba sæpe affert aut quotidiana lectione eorum libros pervolutans, aut memoria quondam complexus. Homeri, poetarum principis, versus haud semel usurpavit, præsertim ex Odyssea exscriptos (5). Hesiodum (6),

(1) IV, 114.

(2) II, 73.

(3) I, 369.

(4) II, 135.

(5) II, 89, Cf. *Odyss.* XV, 418. — II, 228, *Odyss.* XI, 315-317. — IV, 80, *Odyss.* XXII, 347. — IV, 125, *Odyss.* XX, 18. Ex *Iliade* tamen de Sarpedonte, ep. IV, 205.

(6) I, 21.

Sophoclem (1), Euripidem (2), Aristophanem (3), Menandrum (4), Pindarum (5), novit. Herodotum Thucydidem, Plutarchum, licet certis nominibus raro nuncupet (6), identidem lectitaverat. Demosthenem, τὸ τῆς Ἑλλάδος κεφάλαιον (7), Lysiam (8), Isæum (9), Isocratem (10), Æschinem (11) non modo laudat, ut intelligens veræ eloquentiæ existimator, sed eclogarios etiam eorum locos expromit. Josepho Judæo (12) ac Philone (13) frequentius utitur. Hippocratem (14) ac Galenum (15), *Methodicorum* ac *Logicorum* sectas (16), solerter, sed verecunde appellat. Philosophorum tandem omnium, Socratis (17) imprimis, Platonis (18), Aristotelis (19),

(1) V, 546.
(2) IV, 58, 125.
(3) IV, 205; V, 331.
(4) IV, 35.
(5) V, 546.
(6) II, 42; IV, 91; V, 497, 546.
(7) II, 146, 174, 280; III, 81, 260; IV, 85, 91, 205; V, 497.
(8) IV, 91.
(9) *Ibid.*
(10) II, 146; III, 84; IV, 91, 161.
(11) IV, 91, 205.
(12) I, 49; III, 19; IV, 75, 96, 225.
(13) II, 143; III, 19, 81.
(14) II, 16, 79.
(15) IV, 125.
(16) IV, 55.
(17) I, 11; II, 279; III, 66, 154; IV, 55, 205; V, 164, 186.
(18) II, 42, 146, 203; III, 154, 348; IV, 28, 30, 55, 76, 91, 125, 205; V, 73, 164, 186, 202, 497.
(19) II, 3; IV, 55, 76, 91, 205.

gravissimorum auctorum testimoniis causam suam firmare solet et communire.

3. — Postquam vero ad monastica castra se contulit, adeo in uno libro, divino nempe codice, studium omne collocavit, ut non modo profanos sed etiam Christianos auctores deseruisse videretur. Raro enim aliquod nomen pronuntiat ėx tot ac tantis aurei hujus Ecclesiæ sæculi luminaribus. Severus quondam, Eutychianus ille Antiochiæ episcopus, Isidorum, teste Photio, in crimen revocavit quod Origenis errores probavisset. Postea vero idem Severus personam accusatoris, quam temere sumpserat, sponte sua posuit (1). Certe odiosa suspicio erat et ommino vacua. In epistola enim ad Evodium (2), Isidorus Origenis doctrinam περὶ τῆς τῶν ψυχῶν ἐκπτώσεως studiosissime labefactat et convellit, neque alias usquam est ut Adamantini viri nomen reperias. Athanasius planius nuncupatur in epistola ad Cyrillum, atque ornate et honorifice prædicatur (3). *Athanasius*, inquit, *sanctus ille pater ac magnus vir, quo nemo omnium altius in res divinas penetravit.* Laudantur duo Cappadoces, Gregorius et Basilius, suorum civium dissimillimi; *qui vitae suae ac praeceptionum splendore orbis terrae finibus praeluxerunt* (4). Sed unum

(1) *Biblioth.*, cod. CCXXXII. De illo Severo quinti aut sexti sæculi homine, valde miror locutum fuisse Gregorium Nazianzenum apud E. Renan : *De philosophia peripatetica apud Syros*, p. 28.

(2) IV, 163.

(3) I, 323.

(4) I, 61, 158.

virum præ cæteris Isidorus dilexit, Joannem inquam Chrysostomum, *sapientem illum et eruditum arcanorum Dei interpretem, Byzantinae ecclesiae atque ecclesiarum omnium oculum* (1). Joannis libros non modo lectitavit, sed assidue tractavit et crebro regustavit. Juvat integram proferre epistolam ad Heraclium quæ tota in Chrysostomi laudes effunditur (2).

4. — « Vehementer miror qui factum sit, cum gloria scriptorum, quæ sapientissimus Joannes reliquit, passim terrarum dispersorum usque ad extremos terræ marisque terminos penetrarit, ut tuam tamen ruditatem non attigerit. Dum autem obstupesco, non ipsi quidem crimen infero, sed tuam hanc summam ignaviam redarguo, cui idem plane accidit quod illis solet qui in mero meridie et pura serenitate solem non vident, quod facultas videndi penitus sit ipsis exstincta. Per ea namque quæ dicis, magis accusas teipsum, quod videlicet ἀνέραστος τῶν καλῶν sis ingenio. Quis enim rerum pulchrarum amore non devincitur? Quis est ex hominibus post ipsum natis qui non gratiam habeat divinæ providentiæ quod post ipsum natus sit, quodque non decesserit expers divinæ illius lyræ quæ fabulam Orphicam, cui ob eorum quæ finguntur magnitudinem, fidem non facit, sibi vindicavit. Non enim feras bestias divina sua musica allexit, sed feros homines reddidit mansuetos, ex immanitate ad lenitatem et

(1) I, 156.
(2) IV, 224.

concordiam transtulit. Lupi enim et agni, non forma quidem utrosque dico, sed moribus, pace invicem facta, in idem convenerunt. Attinge igitur illam lyram. Ita fiet ut omnis quæ nunc in te tripudiat inscientia longe facessat, et suavibus illis Musarum sonis cedat locum ».

5 — Huc venit translatitia illa Nicephori cantilena quæ Baronio, Bollando, Fabricio et multis aliis quondam placuit (1). Ore enim unanimi volunt Joannem Chrysostomum Isidori magistrum fuisse. Re tandem a Tillemontio in contentionem vocata (2), Heumannus ante omnes totum præcise negavit et testis Nicephori fidem prorsus recusavit (3). Heumanni sententiam secuti sunt Schrœckhius (4) et Niemeyer (5). Nicephori vero partes novissime sus-

(1) Theod. Sizmannus in carmine ad Rittershusium :

Qui repat lucis dias Isidorus in auras
Præcepta magni combibit Chrysostomi.

(2) *Mem.*, t. XV, p. 110. « Nicéphore écrit que S. Isidore a esté disciple de S. Chrysostome et a appris de luy l'une et l'autre philosophie. Cela est assez difficile ; si ce n'est qu'avant que de se retirer à Péluse, il peut l'avoir écouté à Antioche ».

(3) *L. c.*, p. 216 : « Joannis Chrysostomi discipulus fuisse communiter creditur Isidorus noster, sed qui hujus rei testis est Nicephorus Callisti non est ad fidem ejus rei faciendam satis idoneus. Ipse Isidorus cum fecerit pluribus in epistolis mentionem Chrysostomi, eamque honorificam, non tamen commemorat eo se usum magistro ».

(4) J. M. Schrœckh, K. G. 1768-1803. T. XVII, p. 521.

(5) *L. c.*, p. 16 : « Neque ego tamen Nicephori traditioni fidem tribuerim ».

ceperunt Jos. Fessler (1) et Lud. Bober Cracoviensis (2), et adhuc sub judice lis est. Ego quidem arbitror ipsius Nicephori verba in duas sententias trahi posse. Quid enim expresse Nicephorus? Isidorum nempe, Nilum, Marcum, Theodoretum διδασκάλῳ τῷ μεγάλῳ Χρυσοστόμῳ καὶ κατ᾽ ἄμφω φιλοσοφίας χρησαμένους (3), et rursum Euthymium, Simeonem, Nilum, Isidorum, Marcum Ἰωάννῃ τῷ πάνυ μαθητευθέντας floruisse (4). Nonne pluralis numerus aliquid aufert a firmitate asseverationis? Agedum non omnis præceptor ore docet, non omnis discipulus præceptoris sermonem auribus excepit. Verba volantia pauci auscultant, scripta vero manentia multi assidua lectione evolvunt. Addo Heumanni argumentum : Isidorus scilicet sæpe de Chrysostomo mentionem facit, Chrysostomum maximis laudibus ornat, aliquid autem commercii et consuetudinis se cum Chrysostomo habuisse non usquam dicit, omnino neque insusurrando indicium facit. Attulit Bober (5), nihil enim silentio dissimulandum,

(1) *Institut. Patrol.* Æniponti 1850-1851, p. 614 : « Isidorus, olim philosophus et rhetor, postmodum a S. Joanne Chrysostomo eruditus, statum monasticum amplexus ».

(2) *De Arte Hermeneut. S. Isidori Pel.* Cracoviæ 1878, p. 4 : « Non desunt rationes, quæ narrationem Nicephori suffulciunt ».

(3) Niceph. Call., *Hist. Eccl.*, lib. XIV, cap. 53. *Patr. Gr.*, T. CXLVI, p. 1253.

(4) *Ibid.*, cap. 30, p. 1156. Cf. hujus nostræ disputationis, p. 8.

(5) Id non ex suo armario eruebat, sed a Schotto mutuabatur; Schottus enim in argumento epistolæ scripserat : « Laus sancti ac diserti doctoris (*forte ejusdem Chrysostomi*) ». Hanc Schotti conjecturam Bober ad Rittershusium refert, qui nunquam quintum Isidori Librum vel extremis digitis attigit.

libri V epist. 33, ad Isidorum diaconum : « Ἐνέτυχόν ποτε, Isidorus nostér inquit, ἀνδρὶ ἁγίῳ, cujus docentis oculus præferret majestatem ac sapientiam. Aculeos enim plurimos dicendo infigebat.... is, quantus quantus erat, ut ita dicam, utilia spirabat, cum posset cernentibus sapientiæ instillare amorem. » Certe præsentem hunc virum Isidorus viderat de quo loquitur, præsentem audiverat, quem si Chrysostomum fuisse certis argumentis Bober persuaserit, causam vicerit. Rem vero ægerrime conficiet. Nolit dicere epistolam superiorem ad eumdem diaconum scriptam, in laudatione Chrysostomi versari, duasque in unam esse confundendas. Si ita se res habuisset, procul dubio Isidorus dilucide scripsisset : Ἐνέτυχόν ποτε τῷ ἀνδρὶ τῷ ἁγίῳ. Commissura ergo minus apta videtur, præterquam quod tali conjectura nihil incertius. Heumanni igitur ratio plurimum habet momenti. Schrœckhii vero argumentum quod ex temporum notatione eruit, minus certe placet. Omnia enim accurate examinando, potuit Isidorus ante annum CCCXC Chrysostomo Antiochiæ operam dare et anno CCCXCV Pelusii auctoritate florere. Potuit, inquam, sed mihi quidem non fit verisimile. Isidorus Meletium, Carterium, Diodorum Tarsensem, Theodorum Mopsuestenum, præclara ista Antiochenæ scholæ nomina nunquam salutavit. Hominem itinerum minime studiosum, vix Augustamnica provincia unquam discessisse arbitrarer, nisi Alexandriæ natum aliunde noverim.

6. — Adde Alexandriam magnis ac sapientibus

magistris nunquam caruisse, et illis præsertim temporibus, scilicet Isidoro adolescentiæ annos vix egrediente, juvenes omnes orbis christiani florentissimos ad Didymum Alexandrinum concurrisse. Quod si Fabricio (1) et God. Chr. Frid. Lucke (2), tribuimus fidem, doctis sane viris, sed hujus rei testem ne ullum quidem adhibentibus, Isidorus a Didymo excultus doctrina fuit. Hoc persuasum mihi habeo, etiam sine auctore. Summus ille vir, *in caecitate corporis mente intuens* (3), veri luminis desiderio inflammatus, precibus et audiendi meditandique impigro studio tantum profecit ut non modo grammaticæ, dialecticæ et universæ philosophiæ adyta penetraverit, sed et sacrarum litterarum insigni peritia instructus, doctorem Ecclesiæ præstiterit tanto magis eximium, quanto etiam magis vitæ exemplo et morum sanctitate celebratum (4). Hic est ille ἀνὴρ ἅγιος, ut ego arbitror, in quem se olim incidisse Isidorus referebat. Hic est etiam fortassis, Min-

(1) *Bibl. Gr.*, ed. Harles, T. IX, p. 269.

(2) *Quaestiones ac Vindiciae Didymianae*, 1829-1832. *Patr. Gr.*, T. XXXIX, p. 1734 : « Inter ejus discipulos præ aliis nominare licet Rufinum..... Hieronymum, *Isidorum Pelusiotam* ».

(3) Paulini versiculum Andreas noster elegantissime, ut solet, suum effecit :

*Grand aveugle, dont l'âme a su voir tant de choses.*

(4) De Didymo, præter Fabricium, Ceillier, Tillemontium, Mingarallium utrumque, cf. Amed. Thierry, *S. Jérome*, 1867. T. I, p. 287-292.

garelliis enim aliquid cedam (1), hic est ille homo ἀγχίνους καὶ συνετῶς ἐρευνῶν, *quem nihil latere potest*; *cum omnia enim in juvenili aetate praeclare collegerit, requietem in senectute habet* (2). Isidorum igitur existimo et Alexandriæ omne studiorum curriculum confecisse, et Didymo imprimis magistro esse usum.

7. — Sed alia quoque via Lud. Bober nos Antiochiam deducit: « Si quis contendere vellet, ait, Isidorum Alexandriæ humanioribus disciplinis et sacra doctrina excultum fuisse, videat, quomodo S. Isidori S. Scripturæ (sic) explanandi rationem cum Alexandrinæ scholæ principiis conciliet! Hæc enim ratio S. Isidori ita ab Alexandrinorum distat schola, quæ post Origenem, allegoricum, litterali excluso, adamaverat Scripturæ sensum, ut potius scholæ Antiochenæ moderationem in allegoria et diligentem eruditamque sensus litteralis investigationem in epistolis suis sequeretur. Quod facilius certe explicari nequit, nisi assumatur, S. Joannem Chrysostomum, qui ipse ab episcopo Meletio, necnon a Carterio et Diodoro episcopo Tarsensi, præcipuis Antiochenæ scholæ luminibus institutus fuerat, etiam in nostrum Isidorum studiorum gratia Antiochiæ tum commorantem et pietate sua ferventissima et profundissima scientia in-

(1) J. A. Mingarellius, *de Didymo Commentarius*, *Patr. Gr.*, T. XXXIX, p. 157, et Ferdin. Mingarellius, *Veterum testimonia de Didymo*, ibid., p. 225.

(2) Isidori epist. lib. I, 331. « Hæc certe Didymo, ait J. A. Mingarellius, mirifice conveniunt ».

fluxisse (1) ». Solers illud ac subtile argumentum, justo cæterum verbosius, ut theologiam proprie attingit, longius nos ab incepto traheret, quod est tantum de historicis et philologicis quæstionibus. Idcirco rem breviter perstringam. Isidorus ita Scripturam interpretatione explicat ut se Didymi atque Athanasii discipulum, Basilii ac Gregorii cultorem, Chrysostomi vero acerrimum amatorem fuisse profiteatur, neque adeo allegoricis Origenis commentis indulsit ut minusculas epistolas in fabellas et apologos mutaret, neque Antiochenos explanatores tanto studio est imitatus quin et ipse olim a Severo inter Origenistas, a recentioribus quibusdam inter allegoriarum aucupes habitus fuerit.

8. — In contentionem etiam vocari potest utrum ab Athanasio Isidorus sacris fuerit initiatus. Auctor enim anonymus Chrysostomi vitæ, cæterum minus gravis, refert : *Theophilum patriarcham in certamen venisse cum Isidoro Pelusiota, viro pio, quem magnus Athanasius ordinaverat* (2). Toto cœlo aberravit testis imperitus. Isidorum unum novit, Pelusii decus et ornamentum. Pelusiotæ nostro ea detulit quæ ad homonymum quemdam pertinebant natu majorem. Nos non præterit Theophilum τὸν λιθομανῆ καὶ χρυσολάτριν simultates habuisse cum Pelusiota;

(1) *L. c.*, p. 5.

(2) Τούτῳ τοίνυν τῷ Θεοφίλῳ διαφορά τις συμβέβηκε πρὸς τὸν Πηλουσιώτην Ἰσίδωρον, ἄνδρα ὅσιον, καὶ ὑπὸ Ἀθανασίου τοῦ μεγάλου τῆς ἱερατικῆς ἠξιωμένον τιμῆς. Cf. Chrysost. *opera* ex ed. Saviliana, T. VIII, p. 344. Hunc auctorem neglexit Montfaucon et alii editores. Cf. *Patr. Gr.*, T. XLVII, p. XXIV.

sed alter Isidorus fuit, sacerdos ab Athanasio creatus, et hospitio jamdiu peregrinos excipiens Alexandriæ. Hic annos ad octoginta natus, acerbissimum Theophili odium incurrit, in desertum fugere cogitur, cum multis aliis e monastica solitudine ejicitur, Constantinopolim ad Joannem Chrysostomum venit, atque in urbe regia, ante Quercetanum latrocinium, scilicet anno CDIV, mortalitatem explet (1). Hunc sibi ὁμώνυμον Pelusiota plane atque aperte laudat, ut errori et confusioni in hisce rebus nihil loci sit (2). Præterea Athanasio e vita decedente, Isidorus noster eam ætatem agebat, quæ viribus floret, sed a sacerdotalis gravitatis et prudentiæ maturitate procul abest. Relinquitur ut Isidorus Alexandriæ, ab uno ex Athanasii successoribus, Petro († 381), aut Timotheo († 385), aut Pelusii, post aliquot annos in monasticis exercitationibus consumptos, ab Ammonio episcopo ad sacerdotium electus fuerit. Posterior hæc conjectura nobis magis placet, quum memoria et cogitatione comprehendimus Ammonium Chrysostomi partibus fuisse infensissimum (3), quas omni favore Isidorus complectebatur, nullam tamen in tot Isidori epistolis adversus Ammonium conquestionem, nullum

(1) De Isidoro Xenodocho cf. *Act. Sanct.* Januar. die XV, ed. Palmé, T. II, p. 297–299.

(2) I, 152.

(3) Cf. Palladii *dialog. de vita Joann. Chrys.* : « Ante omnes, inquit, hominibus pro causa Chrysostomi exulantibus inimicissimi fuere episcopus Ancyræ et Ammonius Pelusii ». *Patr. Gr.*, T. XLVII, p. 73.

stomachum inveniri, imo multam verecundiam ac pietatem, et præclari cujusdam beneficii recordationem passim elucere (1).

# CAPUT V

## DE ISIDORO MONASTICUM VITÆ GENUS AMPLEXO

ARGUMENTUM. — 1. *De monastica vita illis præsertim temporibus in Ægypto florente.* — 2. *De Andrea quodam Anachoreta apud Coptos.* — 3. *Theophilus in* Philippum, *Dorotheus in* Darium, *Isidorus in* Andream *a Coptis mutati.* — 4. *Isidorus utrum cœnobita fuerit, an anachoreta.*

1. — Eo tempore vita monastica omni genere laudis florebat apud Ægyptios. Sancti viri, novæ istius philosophiæ auctores et principes, Paulus et Antonius, atque alii, in memoria omnium penitus insederant; infixæ mentibus erant priorum patrum imagines, quas intuens quisque virtutis studiosissimus ad illarum similitudinem vitam instituebat. Isidorus ergo, juventutem nondum egressus, vitæ hujus commodis ac voluptatibus nuntium remi-

(1) II, 127; III, 178.

sit; domum, agnationem urbemque opulentissimam reliquit, et monastica castra secutus, venit in montem, prope Pelusium, ut divinis rebus se totum involveret, in sacrorum scriptorum monumentis et rerum cœlestium contemplatione unice acquiesceret, atque omni studio et cogitatione virtutum perfectionem complecteretur. Quum omnibus vestigiis idoneas hujus in vita Isidori commutationis causas perscrutarer, me non leviter quidem tetigit Henschenius (1), immo ad novi cujusdam luminis exspectationem erexit; ipsius ideo verba referam :

2. — « Copti Ægyptii hoc die (scilicet IV Febr.) in suo *Martyrologio* colunt S. Andream Ægyptium quem cum S. Isidoro Pelusiota forte confundi ex encomio coptico quod hic addimus, conjici posset. Est autem Coptis decimus dies mensis Mechir, qui nobis quartus Februarii. « Hoc die, inquiunt, requievit » Pater sanctus, Religiosus sapiens, Doctor catholi- » cus, Andreas. Fuit hic sanctus ex Grania Ægypti, » fuitque cognatus sanctis Patriarchis Philippo et » Cyrillo præsulibus Alexandrinis. Non fuit huic » puero par ingenio : et propterea erudierunt » ipsum omni genere disciplinarum, tam spiritua- » lium, quam civilium, et erudierunt ipsum quoque » in libris ecclesiasticis, deinde in omni disciplina » Græcorum, in quibus omnes alios suos excelle- » bat (2); et cum omnibus istis erat optimus Religio- » sus et cultui divino maxime deditus. Quo quidem » factum est, ut brevi omnium in se oculos conver-

(1) *Acta Sanctorum*, Febr. T. I, die IV, ed. Palmé, 1863, p. 479.

(2) Ipse interpres magis Coptice quam Latine loquitur.

» teret : ita ut conarentur ipsum omnibus modis
» apprehendere et præficere Patriarchatui, sive
» sedi Alexandrinæ ; sed hic mundo mortuus fugit
» noctu, et venit in montem *Pharma*, ubi monas-
» ticam vitam egit in monasterio illius loci. Deinde
» contulit sese ex hoc in parvam quamdam spelun-
» cam, in quo substitit solus spatio biennii : in
» qua et composuit libros numero et qualitate
» singulares, quos et principibus et regibus misit,
» ut ex ipsis ad meliorem vitam informarentur.
» Explanavit quoque plurimos alios libros, quam
» plurimos Ecclesiasticos commentarios, videlicet in
» antiquam et novam legem : quæ in hunc usque
» diem in ecclesia Ægyptia leguntur. Misit quoque
» ad patriarchas et episcopos et reliquos homines
» epistolas numero *octodecim millia*. Et cum hæc
» exercitia gloriosa summa cum laude et fructu
» peregisset, se totum Deo consecravit, intentus
» orationibus noctu diuque : quibus in exercitiis
» morbo præventus oppressusque migravit ad Do-
» minum. Oratio et benedictio ejus sint nobiscum.
» Amen ». Qui hic *Philippus* dicitur, Henschenius subjicit, est *Theophilus* avunculus Cyrilli. Mons *Pharma* Palladio in *Historia Lausiaca*, cap. 23 est *Pherme* mons in Ægypto, abducens in vastam *Scetes* solitudinem, in quo tum quingenti homines exercebantur. »

3 — Ex hoc loco conficimus Coptos e *Theophilo* fecisse *Philippum*, demptis duabus syllabis Θεο. Constat aliunde eosdem e *Dorotheo* fecisse *Darium*, iisdem syllabis detractis, et elementis vocalibus

mutatis (1). Potuit ergo *Isidori* nomen in *Andream* aut aliquid hujusmodi depravari. Perspectum vero atque exploratum habemus montem *Pharmam*, inscio Henschenio atque nihil suspicante, esse montem *Pelusii*. Etenim quam *Pelusium* Græci dicebant urbem, Arabes *Farmam* nomine notaverunt (2). Habemus igitur novum de Isidoro testimonium, leve quidem, ne mentiar, tamen non omnino vanum, non Nicephoro recentius, sed aliquid profecto redolens antiquitatis. Nunc si veraces Copti fuere, quod plane profiteri non ausim, Isidorus Pelusium venit, episcopali dignitate apud Alexandrinos in discrimen dimissa. Atqui Petro emortuo suffectus est, anno CCCLXXXI, frater ejus Timotheus, Timotheo autem, anno CCCLXXXV mense Julio, subrogatus est Theophilus, qui cum Isidoro cognationem habebat. A ratione non procul abesse arbitrarer, si quid hujusmodi ponerem : Timotheo morte de-

(1) Cf. Lequien, *Oriens Christ.*, T. II, p. 541 : « In codicibus regiis Arabicis habentur nomina episcoporum multorum qui Nicænæ Synodo adfuerunt, quorum quintus est *Darius episcopus Farmae*; quanquam mihi minime placet nomen Darii, nec dubium quin corruptum sit, legeroque potius *Dorotheus* ». Atqui *Dorotheus Pelusii* Nicææ aderat.

(2) *Description de l'Egypte*, T. V, Le Père, *Mémoire sur le canal des deux mers*, p. 168. — Occasione data, catalogos episcoporum Pelusii et Rhinocoruræ quos in *Oriente Christiano* reperies, nonnullis mendis expurgandos censeo. Putavit enim eruditissimus Lequien Farmam Coptorum eamdem esse atque Græcorum Rhinocoruram. Adimendi sunt igitur a serie episcoporum Rhinocoruræ, et ad seriem ecclesiæ Pelusiensis referendi *Darius*, *Moyses*, *Epimachus*, *Joannes*, *Michael*, episcopi Farmæ.

functo, Isidorum rumore publico et summa omnium exspectatione episcopum designatum, clam se ex urbe subduxisse, populum vero et sacerdotes quibus jus erat suffragiorum, quum se viderent a suo candidato desertos, Theophilum, hominem non tantum Isidoro cognatum, verum etiam cæteroquin doctum et robusto animo præditum ad infulas evocavisse. Mirabamur quo pacto tantam auctoritatem Isidorus apud omnes sibi constituisset: nunc ratio est ante oculos, nisi si Copti mera fuderunt mendacia.

4. — Quoquo modo se res habuerit, venit Pelusium, et in cœnobium principio sé conclusit Etenim qui in palæstra monasticæ vitæ exercebantur, commune domicilium habebant. Qui vero, tirocinium jam emensi, viresque suas periclitati, aliquid majus atque perfectius consectabantur, iis optio erat et potestas in loca abdita ac mutas solitudines discedendi. Hoc institutum tenuit Isidorus. Namque videmus eum interdum ut *cœnobitam*, interdum ut *anachoretam* degentem. Quodsi hujus temporis consuetudinem Tillemontius et Niemeyerus satis novissent, in perdifficilem quæstionem non convertissent res adeo perspicuas. « Constat, ut ipsi aiunt, Isidorum monasterium in monte non procul a Pelusio urbe, unde Pelusiota dicitur, situm adiisse. Nam si ex eo quod Leontius Byzantinus eum nominat *eremitam*, quodque ipse in epistola ad Thaumasium (I, 402) ἀναχώρησιν suam commemorat, conjecturam faceres eum fuisse eremitam, a vero sine dubio aberrares». Equidem

permitto Leontium; si quid autem de semetipso Isidorus significat, credam Isidoro. Sed Niemeyerus iterum : « Isidorus in epistola ad Tabennesiæ monachos data (I, 93) se Monachum nuncupat, scribitque Calliopio (I, 191) se relicta vita urbana adiisse monasterium; quod ut Cratinus imitetur, hunc alia in epistola (I, 246) magnopere adhortatur ». Quorsum hæc spectant? quæso. Monachi nomen communiter obtinebant et cœnobita et anachoreta, sed anachoreta magis proprie. Tum fuse ostendit Isidorum aliquo functum esse munere; quonam munere si petieris, arbitratur Niemeyerus eum monasterio suo fuisse præfectum. Quid enim? *Irenaeus, Isidori aequalis, hunc abbatem appellavit.* Ast ego illud infitior. Irenæus ne labra quidem movit de Isidoro, ut supra dictum est (1). Cæterum *abbatis* nomen nihil adjuvat; quippe ita nuncupabant omnes monachos senectute aut sacerdotio conspicuos. Verumtamen « omnes fere qui hanc rem tetigerunt viri docti, Sirmondus, Sixtus senensis, Lupus, Pagius, Basnagius, Tillemontius, Ceillierius, Graveson, Heinsius, Arnoldus, Saxius, Weismannus et Rosenmullerus Isidorum monasterii sui præfectum fuisse arbitrantur. Contra quos omnes surgit Heumannus, qui, cum Isidorus ipse, in epistola 150 libri I, monasterii sui præfectum a se diversum commemoret, hunc abbatem fuisse negat. At id quidem nihil probat. Nam nisi ad Schrœckhii conjecturam qui Isidorum monachorum adeo consuetudinem fugisse interdum, seque in

(1) Cf. p. 11, not.

solitudinem contulisse opinatur, velis confugere, eum hanc epistolam aut nondum in monachorum societatem receptum, aut iter facientem scripsisse monachis, licet existimare ». Ergo facultate data, ad Schrœckhii conjecturam confugimus, immo ad ipsius Isidori testificationem. Solus plerumque in monte habitabat, haud procul ab urbe atque a cœnobiis; propter vicinitatem sæpe ab aliis visitabatur, nonnunquam ipse monasteria et ipsam urbem invisebat. Id nempe ex omnibus ejus epistolis, si quis eas strictim attingit, colligitur.

# LIBER SECUNDUS

# PELUSIUM

## CAPUT I

### QUALIS EPISTOLÆ ISIDORIANÆ CHARACTER

ARGUMENTUM. — 1. *De Isidori epistola quadam ad Ophelium.* — 2. *Epistolarum genera apud rhetores.* — 3. *Multæ sunt Isidori epistolæ in singulis generibus.* — 4. *Aliter scribit qui in media republica versatur, aliter in solitudine degens;* — 5. *aliter eloquentiæ artifex, aliter monachus et sacerdos.* — 6. *Isidorus cum Libanio comparatur.* — 7. *De epistolis mutuæ benevolentiæ.* — 8. *Isidorus scribit ut Christianæ virtutis magister et Verbi divini interpres.* — 9. *De epistolis Isidori minime, ut dicitur, dramaticis,* — 10. *sed quotidianum vitæ ordinem, qui ad mores pertinet, referentibus.*

1. — Etsi infitior Isidorum rhetoricæ disciplinæ fuisse doctorem atque suas epistolas ut formas quasdam et figuras in epistolico genere scribendi dedisse discipulis ; libenter tamen agnosco illum hujus artis fuisse peritissimum. Sæpenumero, dum alios epistolographos legebam, aut illas quas edidit Hercher, Demetrii, Dionysii, Libanii præceptiones περὶ τοῦ ἐπιστολιμαίου χαρακτῆρος, nihil omnino in

his studiis et artibus Isidorum effugisse intelligebam. Scripsit imprimis epistolam brevissimam, ad Ophelium grammaticum, hujusmodi (1) :

Ὁ ἐπιστολιμαῖος χαρακτὴρ μήτε παντάπασιν ἀκόσμητος ἔστω, μήτε μὴν εἰς θρύψιν κεκοσμημένος ἢ τρυφήν. Τὸ μὲν γὰρ εὐτελὲς, τὸ δὲ ἀπειρόκαλον · τὸ δὲ μετρίως κεκοσμῆσθαι, καὶ πρὸς χρείαν, καὶ πρὸς κάλλος ἀρκεῖ.

Auream istam scribendi mediocritatem, elegantia et simplicitate temperatam, plerumque apud Isidorum reperias. Nonnunquam, id enim ingenue fateor, argumentatione minus firma aut parum accommodata abutitur. Oratio vero puris et electis verbis semper composita, aut æquabiliter fluit, aut vix paulo incitatius fertur. Certe non eum dicam Attici sermonis exemplar ; dicam tamen, sine dubitatione purum et purissimum, ut illis temporibus, ἀττικιστήν.

2. — Neminem præterit apud Græcos fuisse qui epistolarum genera dividerent hunc in modum, ut φιλική dicatur, quam amicus scribat amico ; συστατική, qua quempiam alteri commendamus ; μεμπτική, qua desideramus in aliquo officium ; ὀνειδιστική, qua cuipiam exprobramus ingratitudinem ; παραμυθική, qua consolamur afflictos in rebus adversis ; ἐπιτιμητική, qua increpamus aliquem lapsum ; νουθετητική, qua libere admonemus quid sit agendum, quid non ; ἀπειλητική, qua comminamur alicui, ac metum injicimus ; ψεκτική, qua morum improbitatem alicui

(1) V. 133.

exprobramus ; ἐπαινετική, qua collaudamus aliquem officio functum ; συμβουλευτική, qua consulimus quod nobis videtur optimum factu ; ἀξιωματική, qua deprecatores intercedimus pro aliquo qui deliquit ; ἐρωτηματική quo sciscitamur aut percontamur ab alio quod scire cupimus ; ἀποφαντική, qua percontanti respondemus ; ἀλληγορική, qua tutis verbis significamus cuipiam, quod ab eo solo cui scribimus, volumus intelligi ; αἰτιολογική, qua reddimus causas, cur aliquid aut factum non est, aut non est futurum ; κατηγορική, qua quempiam incusamus ; ἀπολογητική, qua nos purgamus ; συγχαριστική qua gratulamur amico suam felicitatem ; εἰρωνική, quum diversa scribimus ac sentimus ; ἀπευχαριστική, qua gratias agimus pro officio in nos collato (1).

3. — Addit et alia genera Proclus, ut quadraginta et unum faciat. Sed iis commodius supersedebo. Neque viginti Demetrii τύπους ἐπιστολικούς, ita enim loquuntur, recensuissem, nisi præclare ex ista generum enumeratione eminuisset epistolarum Isidori ratio, quam fuerit varia et multiformis. Habemus profecto in singulis generibus nonnullas epistolas, alias pusillas, alias grandiores, plerasque omnes ad mores informandos aptissimas. Hæc enim fuit propria et peculiaris Isidori gloria, ut veram generosamque virtutem, et illam non duram et quasi ferream, sed dulcem atque amabilem laudibus usquequaque efferat, et in unamquamque rem honestam

(1) Cf. apud Hercher, *Epistol. Gr.* Demetr. Phal. p. 1 ; Proclum, p. 7 ; vide etiam Erasmum, *Conscribend. Epist. ratio* p. 97.

animos inducat, atque omnes flagitiosos homines vel domesticos, vel familiares suos magna vocis libertate perstringat et gravissimis verbis exagitet.

4. — Ex iis enim scriptoribus qui plurimas epistolas ad posteros transmisere, quosdam comperi fuisse rerum publice gestarum et memorabilium testes locupletissimos. Quum spectatores vivi ac præsentes omnia suis oculis cernerent, et ipsi plerumque consiliis et factis interessent, atque in suas rationes intenti erectique, animo ac calamo ferventes, ad familiares suarum fortunarum socios scriberent, adeo præclare sui temporis formam ac rerum varietatem in suis litteris effingebant, ut ipsi etiam qui dicuntur historici minus apte et copiose ad antiquitatis repræsentandam speciem scripsisse viderentur. Ast ii perpauci fuere viri, tum in studiis doctrinarum egregii, tum in republica præcellentes. Tantum abest ut Isidorum hanc singularem præstantiam consecutum esse dicam, ut ejus ingenio et vivendi instituto hujusmodi epistolarum consuetudinem alienissimam fuisse fatear. Isidorus enim vere monachus fuit, profanis curis aut litibus minime implicatus, atque ab omni cupiditate remotissimus. Rebus suis nunquam metuit, quæ ne ullæ quidem extitere. Idcirco in suis epistolis aliquid præ se fert tranquillitatis et pacis, quod puram solitudinis auram esse crederes. Si quando vehementior videtur, ac majori se impetu effundit, non ex animi motibus atque iræ excandescentia tempestas ista cooritur, sed ex alto cælo fit fragor, quippe quum summi numinis iras Isi-

dorus perversissimo cuique denuntiet. Præterea, etsi minus multæ sunt, exstant tamen nonnullæ Isidori epistolæ quas civiles et politicas aliquis jure nuncuparet. Hujusmodi sunt litteræ de Gigantio Cappadoce, de Cyrenio et Simplicio provinciæ præfectis, ad Rufinum, ad Theodosium imperatorem, ad alios obscurioris loci, quas recenti pugna calentes et adhuc forensi pulvere sparsas arbitrareris.

5. — Sunt alii quoque in manibus epistolarum scriptores, urbanitate, lepore, suavitate conditi, quibus concinnitudo orationis multo antiquior fuit rerum gravitate. Hoc genus, etsi magis miror quam invideo, non tamen velim a pueris omnino contemni; inest enim in hac leviorum litterarum tractatione, non modo ingenua oblectatio animi, sed etiam solida quædam utilitas. Ea certe fuisset Isidori ratio scribendi, si Heumannus ad veritatem loqueretur; sed longe lateque abest Heumanus a vero, Isidorus a nugis. Quid enim in musarum templo, in officina eloquentiæ austerus ille præceptor? Quorsum tam graves, tam tristes epistolæ? Anne specimina eduntur et documenta orationis, quæ discipuli imitatione exprimerent? Quam recte ac merito discipuli magistro submoroso suasissent ταῖς Χάρισι θύειν. Verum jam pridem soluta ac dimissa est illa schola, quam solus Heumannus excogitaverat; non ad pueros, festiviores sane atque mobiliores auditores quam viri ingenio par erat, epistolæ scribebantur de philosophicis aut theologicis rebus, de controversiis longissime ab adolescentium sensu disjunc-

tis, quæ sit vis hujus verbi in sacro codice, quæ illi subjicienda sententia; neutiquam joculatoriæ et pueriles videntur hujusmodi disputationes, sed quemadmodum severus erat scriptor, ita minime omnium ludibundi erant ii quibuscum tam acriter versabatur.

6. — Si quis comparationem Isidorum inter et Libanium a me fieri requirit, etsi pluribus agere nunc non debeo, non tamen meam diligentiam in hoc desiderari patiar. Fuit Libanius græcis litteris longe doctior, in quas toto pectore in teneris incubuerat ; fuit in exemplo scribendi ab antiquitate expetendo et veterum vestigiis indagandis diligentior et ut verum dicam felicior. Fuit in epistolis, quod proprie ad nos attinet, verbis limatior, sententiis nitidior. Sed in qua rerum levitate, futilitate, inanitate versatur? Magnus ille sermonum architectus, ita interdum se præbet rerum inopem et jejunum ut ejus etiam venustas odiosa esse videatur. Quum in hoc viveret antiquarum rerum naufragio, in his novorum temporum exordiis, quæ nullum hominem, præsertim e primoribus, mediæ et neutrius partis permanere sinerent, neque exorientem novam generis humani formam illustravit, neque inclinantem et præcipitantem sustentavit, ac nihil antiquius, in tanta omnium perturbatione, nihil sanctius habuit quam ut delicate, lepide, concinne scriberet (1). Isidorus haud ita luculentus est auctor, sed

(1) « Au siècle même de Libanius, les lettres de l'empereur Julien et de Symmaque du côté des Païens ; du côté des Chrétiens, celles de S. Basile et de S. Jérôme nous instruisent de

multo præstantior homo; non se totum dederat studiis humanitatis, sed etiam ad philosophiam studium suum applicuerat, et theologicis præsertim diciplinis suas vigilias addixerat. Veterum vestigia non superstitiosa sollicitudine persequebatur. Minus accurate, minus jucunde scribebat. Iisdem sæpe verbis, iisdem iterum sententiis ute-

tout ce qui faisait le fonds, l'âme et la vie des doctrines qui se disputaient alors le monde. Dans les Pères de l'Eglise surtout, dont les lettres sont quelquefois de véritables traités, on voit l'ardeur et l'activité de la foi éclairer et soutenir les âmes dans les voies de la religion nouvelle. On y sent ce qui trouble, agite et vivifie la société en décomposition, ce qui touche les cœurs et change les volontés. L'histoire et la philosophie aussi bien que la piété chrétienne peuvent puiser à cette source de précieux enseignements. Il n'en est pas de même en général de la correspondance de Libanius. Nous ne voulons pas dire toutefois que ces lettres, qui nous initient à sa vie et à celle de son siècle, soient dépourvues de tout intérêt historique ; il s'en faut de beaucoup. On n'y trouve assurément point un écrivain préoccupé des graves questions et des graves intérêts qui s'agitent autour de lui; on n'y trouve pas non plus ce penseur solitaire que Gibbon représente les yeux tournés vers la Grèce antique; mais on y voit, lancé et entraîné dans le tourbillon de la vie active, le professeur d'Antioche, entretenant les mille relations que sa position lui a créées, et polissant le moindre billet qu'il écrit, comme s'il devait passer de main en main à la postérité. Le soin et la recherche nuisent parfois à la clarté et au naturel de ses lettres; mais en général elles sont un excellent modèle d'élégance et de précision, qu'il s'agisse de compliments, de condoléances, de recommandations, de quelque sujet général ou particulier, toutes expriment la chose qu'elles ont à dire, dans des termes choisis, élégants, exquis. » Sic præclare Petit. *Essai sur la vie et la correspondance du sophiste Libanius,* p. 151-153.

batur, neque *prodigialiter variare* orationem cupiebat, neque pompam potius adhibere epistolis quam mentibus stimulos.

7. — Alii suavissimas misere litteras cognatis, liberis, amicis, de privatis tantum rebus ac domesticis, ut animi sensus explicarent, intima studia et cogitationes aperirent, amorem tandem ac fidem testificarentur. Nemo non ita consuevit, neque monachi ab eo more unquam recessere, qui naturæ vim obtinuerat. Scripsit in hoc genere schedulas bene multas Isidorus, quas longum foret oratione percurrere. Attamen neque illud genus majorem epistolarum partem complectitur.

8. — Igitur epistolarum formam quam Isidorus multo maxima ex parte servavit, ita breviter constituam : dum scribit ad singulos, omnes fere homines videtur compellare ; res privata et propria ita agitur ut communis fiat. Isidorum plerumque diceres non epistolium exarare, sed ex suggestu verba facere ac sacris concionibus populum exhortari. Epistola in concionem vertitur ; oratio vero, quo brevior est, eo pugnæ aptior ; orator, quo propius abest atque in magis abditos ac penetrales focos pervadit, atque magis secreto unus cum uno contendit, eo accommodatius loquitur ad probandum, hortandum, suadendum. Sed vere crederes, Isidorum dum legis, sermonem potius de relligionibus haberi, quæ communes sunt et sempiternæ, quam veras quas dicunt litteras opportuno loco et tempore in singulos dies elucubrari.

9. — Quæ quum ita sint, in magnas difficultates incurrerem, si *dramaticam*, ut aiunt, Pelusii effigiem ex Isidori epistolis exprimere molirer. Vix insignia quædam atque eminentia apparent, umbris circumfusa, quæ in tabula referrem. Si quid nitidum, lætum, in clarissima luce positum flagitares, ego certe ad omnia niterer verecundia negandi, sed ea tamen conditione niterer, si meminisses non pictoribus minus quam poetis constitutam legem ut *quidlibet audendi* sit utrisque *aequa potestas*. Ea lege, veniret Pelusium Anacharsis novus, nescio quis, egregius adolescens, acutus et disertus, summa spe præditus et animi et ingenii. Incideret in illa urbis tempora quæ iniquissima essent, Gigantio aut Cyrenio præsidibus ; turbulentissimas reipublicæ tempestates *tragicis verbis adumbraret* (1). Simplicium tandem amplecteretur Pelusii liberatorem. Simultates gereret cum Eusebio, Zosimo, Marone et aliis id genus. Asclepio rhetore aut Harpocra familiariter uteretur. Plerumque e turba se evolveret, saxa et scopulos Isidori inviseret, diligenter cum eo sermocinaretur. Habeo quoque narratiunculas quibus rem seriam quasi quibusdam floribus aspergerem. Sed quid hujusmodi fabula in hac nostra commentatione. Equidem malim jejunus et aridus imperitis videri quam a doctis judicibus nugatoris nomine notari. Referam igitur animum ad nudam veritatem, quæ si ad liquidum exploratur, majorem vim habebit et jucunditatem quam fabularum commenta.

(1) I, 226.

10. — Quod enim dixi Isidorum totum adeo vivere in epistolis, ac suos æquales adeo vivos depinxisse, ut germana et spirans quædam horum temporum imago in ejus volumine eluceat, a veritate equidem, utputo, minime descivi. Scilicet non omnis vita potest verti in scenæ argumentum. Quam Pelusiotæ vivebant, vita erat communis, de medio sumpta, in usu quotidiano collocata, sine mirificis illis rerum humanarum casibus, qui in theatrales consessus circumferuntur. Hanc popularem vitam Isidorus, tanquam unus de populo, planè ac præclare expressit. Attamen in rebus narrandis nunquam immoratur, sed ubi leviter attigit quæ fama manat, quis percrebrescit rumor, qui sermones dissipantur, leviter transit, atque se convertit ad laudandam virtutem vitiaque exagitanda.

## CAPUT II

### DE PELUSIO AUGUSTAMNICÆ METROPOLI

ARGUMENTUM. — 1. *Quale nunc Pelusium.* — 2. *Quale vero Isidorianis temporibus.*

1. — Pelusium fuit urbs ultimæ antiquitatis, juxta orientale Nili ostium et supra mare stadiis

amplius viginti (1). Græcum nomen habuit ἀπὸ τοῦ πηλοῦ stagnorum. Alii memorant Pelusium a Peleo Achillis patre conditum fuisse, qui quum fratrem Phocum interfecisset, atque a facinorum vindicibus Furiis agitaretur, in lacu citimo cædem abluere jussus erat (2). Occidentem versus et meridiem, spatiosa panditur planities, tanquam vasti lacus. Arena, sale in crustam concreto, procul splendet, humida tamen et glutinosa gradienti (3). Nulla arbor, sed nuda solitudo, ab æstuoso cœlo

(1) Strab. XVIII, I, 21.

(2) Ammian. Marcell. XXII, 16.

(3) *Description de l'Egypte*, T. V. *Mémoire sur le canal des deux mers*, par M. J.-M. Le Père : « A mi-distance des deux stations commence la *plaine saline de Péluse*. Cette plaine *vaste et unie comme la surface des eaux d'un lac tranquille,* dont elle offre une parfaite image, est formée *d'un sable humide et gras à la marche.* Toutes les parties n'en sont pas également fermes, car il en est de fangeuses et de mouvantes, dans lesquelles il serait dangereux de s'engager. Du sein de cette plaine s'élèvent les ruines de l'ancienne Péluse, que l'*illusion du mirage fait paraître comme une île* » (p. 168). — Andreossy vero qui totius Augustamnicæ provinciæ descriptionem magnis suis tabulis edidit (Ibid. t. VII. *Mémoire sur la construction de la carte de l'Égypte par le colonel Jacotin*, p. 75) eadem fere refert : T. V. *Mémoire sur le lac Menzaleh* : « Péluse est située à l'extrémité orientale du lac Menzaleh, entre la mer et les dunes, au milieu d'une *plaine rase, nue et stérile.* ..... Le terrain est couvert dans presque toute son étendue *d'une croûte saline.* Aussi tout annonce que la mer y reflue et y séjourne pendant une partie de l'année, vraisemblablement dans le temps du solstice d'été. *Le mirage est si considérable dans la plaine de Péluse que, une demi-heure après le lever du soleil, les objets paraissaient défigurés au point qu'on ne pouvait plus les reconnaître* » (p. 276-277).

indefensa. Ubi dies cœpit, late patente prospectu, omnia incerta ac dubia apparent, atque in largissimam lucem videntur fluctuare. Nostris quidem temporibus, si quis hanc peregrinationem obit, saxosus collis in modum insulæ emergens ante oculos obversatur (1). Vix super tumulo paulo editiore, rara arbusta virent, aviumque volatu aliquid vitæ proferunt. Ubique lapides, testæ, marmora, vitra jacent, inter quæ argentei nummi, columnarumque fragmenta et rudera ædificiorum nonnunquam reperiuntur. Studiosius perspicienti agger latericius eminet, atque in longum porrigitur ut totum collem tanquam vallo muniat. Una etiam porta ad aquilonem fere integra stat, mareque longe et Pelusiacum ostium prospicit. Vallis enim ex hac parte infra oppidum submittitur, et antiquum illud ac nobile Pelusiacum flumen nunc tenui aqua repit et multo limo stagnat. Versus Orientem alia exsurgit ruina, alia vastitas in immensum pertinet (2). Ita igitur præclaram urbem vis fortunæ

(1) Andréossy : « Il n'y a pas la moindre trace de végétation sur la plaine où se trouve située Péluse. On voit dans son enceinte *un mamelon isolé couronné d'arbustes ; quelques oiseaux* sont les seuls hôtes de ce bosquet et de la triste solitude qui le renferme. Le voyageur étonné n'aperçoit d'ailleurs, où existaient une ville et une population immense, que quelques colonnes couchées dans la poussière et de misérables décombres : il cherche en vain dans les environs les restes d'un guerrier longtemps heureux et qui dut céder enfin à la fortune de César ».

(2) Le Père, *ibid* : « Les ruines de Péluse, que les Arabes nomment aujourd'hui Tell-el-Fadda (colline d'argent), parce que l'on y trouve fréquemment des pièces de monnaie, con-

exstinxit, situ et natura munitissimam, arcem Ægypti, Græcorum oppidum, Romanæ provinciæ caput.

2. — Isidori ætate, Pelusium adhuc florebat, ædificiorum descriptione omnibusque copiis opulentum. Muri ambitus fuerat, ut Strabo refert (1), stadiorum viginti; Romani vero terminos urbis propagaverant, ut totum collem impleret. Hominum erat magna quidem multitudo, fortasse ad octoginta millia, quantum conjectura possum assequi. Pelusium habebat metropolim ac præfecturæ sedem Augustamnica provincia (2) quæ a Phatmetico aut Bucolico flumine ad Phœniciam pertinebat. Ita civili saltem jure ac ratione multas atque præcla-

sistent dans une chaîne de hauteurs couvertes de pierres, de briques, de fragments de grès, granit, marbre, verre, etc..... On y trouve les restes d'une enceinte considérable, bâtie en briques rouges. *Une porte de ville au nord est presque entièrement conservée :* cette bâtisse porte tout le caractère des constructions romaines. On trouve çà et là *des fragments de colonnes et autres restes de monuments.....* à une distance de 2500 à 2600 mètres de leur extrémité orientale, au nord-est, *de nouvelles ruines* où M. le général d'artillerie Andreossy fixe la position de El-Faramah, ville arabe ». — Andreossy : « *L'extrémité de la branche Pélusiaque, réduite presque entièrement à un grand canal de fange,* traverse cette plaine en allant du lac à la mer ». Eadem fere animadvertit Hieronymus : « Nilus aquarum multarum, qui prius uno fluebat alveo, et intransibilis erat, in septem valles humillimus ita divisus est atque concisus, ut *calceatis pedibus* transiretur. » Hieron. *in Isaiam*, IV.

(1) Τὸν δὲ κύκλον ἔχει τοῦ τείχους σταδίων εἴκοσιν. Strabo, XVII, I, 21.

(2) Cf. Lequien, *Oriens Christianus*. T. II, p. 340.

ras urbes Pelusium in sua ditione tenebat, scilicet Mendesium oppidum, Taniticum, Diospolitanum, Lycopolitanum, Pharbæticum, Sethrœum, Phacusam, Gerrha et Rhinocoruram quæ a Strabone recensentur, aliasque urbes clari etiam nominis Tamiathim, Thmuim, Panephysim, Tennesum, Daphnen, Selam, Casium, Ostracinen, e quibus nonnullas Isidorum salutasse epistolis mox ostendemus. Etenim non ad solum provinciæ caput Pelusium vis ejus et auctoritas erat, neque Augustamnicæ finibus continebatur, sed totam Ægyptum, totum Orientale imperium repleverat.

# CAPUT III

## ISIDORUS POLITICUS

ARGUMENTUM. — 1. *Omnis potestas a Deo.* — 2. *De discrimine regis et tyranni.* — 3. *De epistolis Isidori ad Theodosium imperatorem.* — 4. *De legibus.* — 5. *De bello.* — 6. *De justitia et judicibus.*

1. — Isidorus, etsi in solitudinem se abdidit, rei civilis ac publicæ curam minime ejecit ex animo, imo vero pro virili parte est enixus ut omnes legibus obtemperarent ac formam civitatis pulcherrimam effingerent. Graves et ponderosas scripsit epistolas ad Theodosium imperatorem, ad Rufinum

prætorio præfectum, cujus in manu ac potestate imperium simul atque imperator erant, ad florentissimos viros, prætores ac duces. Hunc laudibus effert, illum verbis exagitat; alias iniquo judici terrorem incutit, alias novo magistratui auctor adest ut suo officio præclare fungatur. — Omnem a Deo ordinatam et constitutam potestatem, ut ipse docet, vita ipsa demonstrat, quæ si non ordinibus his et gradibus distincta esset, ut subessent alii, alii vero præessent, nec legi unquam, nec bonis moribus esset locus, omniaque confusa et perturbata fluitarent. Porro omnis ordo et omnis bona ratio societatis a Deo est. Sunt igitur a Deo potestates ac principatus. Atque hic de ipsa re, scilicet de potestate, non de potentibus viris est sermo. *Omnis enim potestas est divina, non omnis princeps est sanctus* (1). — Quemadmodum Deus est principium potestatis, ita imperiorum robur ac firmitas Dei amicitia est (2). Quibus enim imperium contigit legitimum, iis etiam bene procedet. Omnia tunc demum secunde fluent, ubi obtinuerit pietas quidquid sui juris sit (3).

2. — Rex potestatem singulari exercet modestia (4), nulli gravis, nulli molestus, præterquam improbis et vecordibus (5). Subditis non tanquam servis dominatur, sed tanquam liberis præest (6).

(1) II, 216.
(2) I, 290.
(3) IV, 143.
(4) IV, 166.
(5) V, 104.
(6) IV, 7. Cf. V, 255.

« Si Christi regnum adipisci studes, o Theodosi, quod corruptionis omnis expers æternitas tanquam corona cingit, quodque Deus pro caduco imperio iis qui præclare istud administrarunt præmii loco constituit, potentiam tuam mansuetudine tempera, et conveniente liberalitate onus divitiarum leva » (1). Rex verus et Christianus, vitæ suæ exemplo magis quam præceptis cives officii admonet (2), et quam a subditis obedientiam exigit, legibus ipse exhibet (3). Aulicorum voces certissimam pestem Isidorus arbitratur, qui placendi studio reges prædicant legibus majorem potestatem habere (4). Is tandem erit verus ac proprio nomine rex, Isidori sententia, qui potestatem suam utilitate publica et civilibus commodis definiet (5). — Tyrannus vero recte dicitur qui potentiam violenter exercet, eamque non utilitate publica sed suis voluptatibus ac vitiorum licentia metitur (6). Vitium enim, res infausta et plena dedecoris, cum tyranno regnat. Tyrannis, ut uno verbo rem conficiam, sibi ipsi lex est : τυραννίς ἐστι δυναστεία αὐτόνομος (7).

3. — Ita scribit Isidorus πρὸς βασίλειον, id est, ut nostra fert opinio, *ad aulam regiam*. Nomen enim hominis, *Basilii* cujusdam quem latinus interpres

(1) I, 35.
(2) V, 348.
(3) IV, 157.
(4) IV, 148.
(5) IV, 143.
(6) III, 223.
(7) IV, 143. Cf. V, 255.

voluit, dativo casu ex consuetudine notaretur. Sequitur epistola ἀνεπίγραφος quæ aut ad ipsum imperatorem, aut ad administratorem quemdam reipublicæ procul dubio missa est. Isidorus liberrime quosdam magistratus aut militiæ præpositos reprehenderat, quod, sanciendi fœderis causa cum barbaris gentibus, sacris religionibus labem intulissent. Divinas enim cærimonias cum vanissimis superstitionibus permiscuerant, falsisque diis interpositis, dataque et accepta nefarii sacramenti fide, pactionem conflaverant. Ejus rei fama emanante, Theodosius mandatum quoddam misit, quod Isidoro tum male se habenti διὰ τοῦ βασιλικοῦ ἀποκρισιαρίου est allatum. Cæterum totius hujus rei non est satis explicata ratio (1). — Rex ante omnia

(1) IV, 144; cf. Tillemont, *Mém.* T. XV, p. 115. « L'épitre 144 du IV[e] livre nous apprend que le saint avait reçu une lettre de l'empereur (ἡ κέλευσις non est proprie epistola, sed rescriptum aliquod publicum) et apparemment encore de la personne à qui il écrit. Cette personne n'est point nommée, mais autant que nous le pouvons juger, c'est la sainte impératrice Pulquérie qui régnait avec le jeune Théodose son frère. (Tillemontii sententiæ favent verba Isidori : Τὴν ἐν Κυρίῳ ὑγείαν καὶ σωτηρίαν τῆς εὐσεβοῦς ὑμῶν βασιλείας). Le sujet de cette lettre était, ce semble, quelque traité qu'on avait fait avec les Sarrasins ou d'autres barbares voisins de l'empire, et que le saint avait témoigné désapprouver à cause d'un serment..... Il ne faudra pas s'étonner que cela ait animé le zèle de S. Isidore et qu'il en ait fait entendre ses plaintes jusqu'à la cour. La lettre que l'empereur lui écrivit était sans doute pour remédier à ce mal, ou au moins pour lui en demander ses avis et s'y soumettre. Car il en fut extrêmement réjoui, il en rendit à Dieu de grandes actions de grâces et la joie qu'il en reçut le guérit d'une maladie qui le travaillait beaucoup ».

persuasum habeat imperia ope divina fundari, augeri atque bonis omnibus amplificari (1). In divina benevolentia et pietatis officiis majus suis rebus præsidium quam in armis, potentia et calliditate constituat (2). Rex soli Dei judicio est subjectus (3), ita tamen ut sacerdotium quæ est potestas regno sublimior, licet alterius ordinis (4), non lædat, sed amplificet et relligionem omni ratione humana superiorem accuratissime ab omni injuria prohibeat (5). « Si tu tantum temporis tibi sumis, imperator, ut iis quæ Ephesi decernenda sunt intersis, non dubito quin ea ita se habitura sint, ut a nemine reprehendi queant ; sin autem turbulentis odiis calculos permiseris, quisnam a cavillis concilium vindicabit ? Huic autem malo remedium attuleris si ministros tuos a dogmatum præscriptione removeas, ne alioquin imperio quoque perturbationem afferant, perfidiæ suæ machinas ad Ecclesiæ petram effringentes. Nam ea firmo loco defixa est, neque ipsi portæ inferi dominabuntur, quemadmodum is qui eam stabilivit pollicitus est » (6).

(1) I, 290.
(2) I, 35.
(3) V, 382.
(4) IV, 422.
(5) I, 311.
(6) I, 311. Cf. Theodosii *edictum de concilio Ephesino* apud Mansi, *Concil.* IV, p. 1109. De hac Isidori epistola cf. P. Largent : *S. Cyrille d'Alexandrie et le concile d'Ephèse*, Revue des Quest. Hist., T. XII, p. 41 : « En interdisant à son représentant, le comte Candidien, l'immixtion dans les matières religieuses, Théodose se conformait aux intentions de saint Isidore de Péluse ».

4. — Lex alia natura insita est, alia scripta (1). Quæ scriptæ sunt a legum latoribus eduntur ut dum singuli metuunt supplicia, sese facilius universi a flagitio contineant (2). Legislator enim eo ipso quod pœnas sancit, prævidet se non omnibus persuasurum ut probi sint, sed fore aliquos contumaces et superbos, qui in officio nequeant contineri (3). Minime quidem sibi ut finem proponit delictum et pœnam; sed omnino bonum ac rectum reipublicæ ordinem. Immo vero pœna secundarium quid esse videtur in lege et ita ab omnibus debet æstimari (4).

5. — Bellorum causæ plerumque sunt laudis et gloriæ ambitio, insana dominandi cupiditas (5). Etsi legitimæ videntur in bellis cædes et columnæ victoribus eriguntur, tamen si proximæ cognationis quæ inter homines est, ratio habeatur, ne hujus quidem modi occisiones plane innocuas esse putares (6). Verumtamen bellum adversus externos legitimum sæpe ac necessarium esse censetur; adversus autem cives et populares detestandum scelus, neque laudibus afficitur qui adversarios fudit et profligavit, siquidem bello civili nihil atrocius fingi potest (7), atque miseriores sunt

(1) IV, 53. Cf. III, 164; V, 491.
(2) IV, 209.
(3) IV, 205.
(4) V, 250.
(5) IV, 55, 70.
(6) IV, 200.
(7) III, 104. Cf. V, 176.

qui vincunt iis qui vincuntur (1). — Hujus temporis milites ab antiquis Romanorum moribus admodum abhorrebant. Barbari enim plerumque sub signa evocabantur, magnis propositis præmiis, provinciasque imperii prius diripiebant, et omni modo vexabant, quam armis tutabantur. Ea de causa, Isidorus vehementer insectatur Quintianum quemdam egregio adolescenti suadentem ut rei militari potius quam litteris se daret (2). Non tamen omnem militiam prorsus aspernabatur, sed fortibus athletis ac bellatoribus debitam laudem impertiebat (3).

6. — Justitia tanquam splendor imperii lucet (4), a qua abire gravius est quam regno deturbari (5). Duplex est autem judicis officium, namque jus investigare debet, quod plerumque non est positum in oculis, atque ubi pro rato habetur quod justum est, cavendum ne aliquo tandem modo prodatur. « Alii enim per hebetudinem atque secordiam, quod æquum est, haud inveniunt. Alii vero, tametsi satis acuto sint præditi ingenio ad id quod jus dictat investigandum, tamen per eorum illiberales animi motus, fit, ut id prodant, aut metu, aut ignavia, aut divitiis, aut amicitia, aut odio corruptum (6) ». Idcirco judicem acutissimo ingenio esse

(1) V, 10.
(2) I, 390.
(3) IV, 180.
(4) I, 208.
(5) IV, 96.
(6) IV, 214.

oportet. « ut et eorum qui loquuntur facundiam, et eorum quæ dicuntur verisimilitudinem missam faciens, sensa ipsa introspicere atque hinc expiscans, veritatem haurire queat (1) ». Sed ille acutissimus veri disceptator, nisi in ferenda sententia æquitatem unice in consilium adhibeat, quod bene cognovit, male decernet (2). Præterea non est justi judicis sudores contemptui habere, segnibus et socordibus præmia largiri; si qua enim alterutri major benevolentia præstanda est, industrio et operoso homini potius favendum quam ignavo cessatori (3). — Pulchræ sane et omnibus temporibus aptissimæ sententiæ, sed his maxime sæculis necessariæ; in provinciis enim respublica undique dilabebatur. Ibi nullus æquitatis patronus, nullus injuriarum vindex, aut si quid auxilii ab imperatore sperabatur, adeo lenta et spissa omnia erant ut dilationes ac moræ cumulum rebus asperis afferre viderentur. Antiochus fuit eunuchus palatii, homo in Byzantinis annalibus spectatissimus, sed eunuchus tamen, imo barbarus ac Persa genere. Hunc tamen homunculum, non modo imperii ministerium, sed pleraque arbitratu suo moderantem, Isidorus hortatur ut *justitiam jam paene emortuam* recreet (4). Tali auxilio, defensoribus istis ea temporum acerbitas egebat!

(1) III, 9.
(2) V, 182. Cf. III, 365.
(3) I, 237.
(4) I, 36.

# CAPUT IV

## DE FORO PELUSIACO

ARGUMENTUM. — 1. *De Gigantio Cappadoce, Augustamnicæ præfecto.* — 2. *De Cyrenio præside.* — 3. *De Simplicio.* — 4. *Quænam fuerit Isidori ratio in tractandis rebus publicis.* — 5. *Quam multi tum fuerint in publicis muneribus.* — 6. *De Ausonio correctore.* — 7. *De Hermino comite.* — 8. *De Theodoro quodam scholastico seu caussidico litigioso.*

1. — Nunc velim effingere formam urbis Pelusii, qualis fuerit Isidorianis temporibus, quos magistratus, municipes, sacerdotes habuerit, quibus vitiis ac litibus laboraverit; ut apertum sit omnibus ac manifestum quasnam tandem partes Isidorus sibi depoposcerit, in his reipublicæ et popularium fluctibus. Rufino Byzantini imperii gubernacula tractante, Augustamnicam provinciam obtinuit Gigantius quidam Cappadox. Porro Cappadocum natio inter tria κάππα κάκιστα adnumeratur. « Gens subdola atque improba pace offenditur, jurgiis ac dissidiis alitur, eumdemque *dulcis et amari* fontem habet. In congressu bene ac benigne loquitur, in absentia obtrectat. Fallax est, impudens, temeraria, meticulosa, cavillatrix, illiberalis, versuta, inhumana, superba et contumax; in secundis amicorum rebus

mœsta, in adversis læta et insatiabilis; ad mentiendum proclivis est, ad pejerandum celer ». Talis et fortasse pejor Gigantius erat (1). Habuit tamen suos asseclas, quos ita modeste et sapienter Isidorus monuit : « Vehementer equidem vestram levitatem admiror, quod βραχὺ πνεῦμα καὶ ὀλίγωρον τοῦ Καπποδόκου adeo vos omnes instar calami quassaverit, quodque impiis hominis molitionibus vos ministros præbeatis, dum metuitis, ne consimilia eorum quæ prius perpessi fuistis, in posterum quoque perpetiamini. Si igitur una cum ipso, quando jam abibit magistratu, discedere decrevistis, probabiliter sane patriam prædamini. Sin autem ipse quidem abibit ac discedet, vos autem in ea regione in qua nati estis, manebitis, ab adversariis quidem abstinete, popularibus vero atque domesticis vestris defensores vos præbete (2) ».

2. — Alius fuit Pelusii præses, Cyrenius nomine : ille, vix accepta provincia, antequam urbem ingrediatur, chartam pro foribus Ecclesiæ figi jubet,

(1) I, 281, 483, 484, 485, 486, 489, 490 ; IV, 197. Hæ omnes epistolæ de Gigantio nescio quam asperitatem spirant ac juvenilem quamdam effervescentis animi eloquentiam. Referri certe possunt ante annum cccxcv. De sinistra Cappadocum fama notissima sunt Demodoci epigrammata ; Basilius, magnus ille Cappadox, popularium suorum ignaviam, veternosum et quasi nivosum languorem commemoravit. Cf. Fialon, *Étude historique sur S. Basile*, p. 9. — Illud quoque velim ab historicis notari : Carthaginienses scilicet et Ægyptii tum temporis a gerendo imperio ob immanitatem a lege prohibebantur. (I, 485, 489.)

(2) IV, 197. Cf. I, 490.

quæ et omnibus sese purgandi potestatem atque in templum perfugiendi jus adimat. Mox ingressus atrocem in modum res administrat atque omnium bonorum maledictis appetitur. Venalis fit justitia, cives gravi inopia vexantur, neque Ecclesia opem huic malo ferre potest. Jus abscedit, lex ignoratur, terror ubique regnat. Isidorus iterum appellat ad Rufinum (1).

3. — Verumtamen spes nova affulget civitati Simplicius, vir probus et moratus, qui in optima existimatione erat, prætorium imperium obtinet aut Pelusii, aut Augustamnicæ provinciæ. Isidorus continuo reipublicæ fortunam laudat et recuperatam libertatem senatorum collegio gratulatur. « Etiam nunc Pelusio Deus prospicit, etiam nunc pietatis semen in urbe viget et πολιοῦχοι martyres miseram civitatem suscipiunt. Venit vir eximia virtute præditus Simplicius prætor. Ἄλλον ὑμᾶς εὐαγγελίζομαι βίον. Libenti animo virum excipite, omnes quibus conflictamini molestias ἐκτραγῳδήσατε. Vir enim sapientissimus et piæ voluntatis laboribus mutationem dabit. A Deo robur nactus est; scilicet a Deo plerisque, ut rem præclare gerant, impertitur (2) ». Paulo post novus ad urbem prætor accedit summa civium lætitia ; ipse Isidorus festis vocibus eum accipit : « Tuam præturam urbi gratulamur, et lætitia exultamus, cum nunc justitiam per mediam urbem tecum invectam, tecum palma or-

(1) I, 174-178. Cf. 240, 493.
(2) I, 226.

natum, intuemur. Ita enim Deum adjutorem ac socium habiturus es, tum improbos homines tibi indicantem, tum bonos declarantem » (1). Magna me dubitatio tenet an eum quem Isidorus exspectabat fructum Simplicii magistratus tulerit.

4. — Ergo quod ad res civiles spectat, Pelusium fortuna periniqua utebatur. Ex Isidori epistolis hausimus Augustamnicæ provinciæ curationem obtinuisse homines natura maleficos et injustos, atque ipsos interea cives ministros se præbuisse ad patriam omni injuria lacerandam. Videmus Pelusienses haud semel a prætoribus suis ad Rufinum, ad Imperatorem appellavisse, mox adductos esse ut propter novi prætoris nequitiam, in amoti magistratus desiderium fere venirent; vix Simplicii adventu recreatam fuisse civitatem atque ad meliorem spem erectam. Magis incerta sunt tempora quam ut conjectura augurer quousque Simplicianæ istæ induciæ duraverint. Quod certum est, mira apud Isidorum reperitur gratulationum paucitas de rebus publicis, magna contra crebritas querelarum; deplorat enim urbis calamitates, auxilium expostulat, injuriosos homines gravioribus verbis insectatur, ita demum de civium rationibus laborat, ut modum excedere, magistratibus obtrectare, omnia quæcumque aguntur damnare, rebus novis semper studere ferme videatur. Si quis vero sanctissimum hominem eo nomine reprehendit, monachum ego ab injuria prohibebo. Quid

(1) I, 225.

enim ? Si flocci fecisset res civitatis, ac solus sibi vixisset, monasticam inertiam decantarent ; si in potentium hominum gratiam se posuisset, non laudator virtutis, sed adulator vitii nuncuparetur. Nunc vero causam communem agit strenue ; quid sibi emolumento sit minime curat ; quanquam aspere et vehementer loquitur, adeo pro solis suis civibus tanta contentione decertat ut totius civitatis personam eum gerere arbitreris. Quænam igitur erit pulchrior et magnanimo viro aptior de rebus publicis tractandi ratio ?

5.—Multa nomina afferre possem hominum dignitate florentium. Habeo enim præsides ac prætores : Cononem, Isidorum, Nemesium, Diophantem, ac Taurum illum, postea Orientis Comitem, ad quem scripsit et Theodoretus, Taurum qui ab Isidoro dicitur ἀρχικῆς ἀρετῆς ἀψευδέστατον βασανιστήριον (1), et rursus ἀγχινοίας τέμενος (2). Habeo *viros clarissimos*, Chrysam, Dorotheum, Hesychium, Timotheum, Lucam, Hieracem. Habeo *Magistrianos*, *Tribunos*, *Correctores* : Diogenem, Leontium, Nemesianum, Philoxenum, Serenum, Dionysium, Serapionem. Habeo *Duces* : Gelasium ac Strategium ; ac magnam *Comitum* catervam, atque πολιτευομένων nescio qua ratione virorum multitudinem. O felicem ac fortunatam rempublicam in quam tot homines incumbunt !

(1) III, 365.
(2) V, 40.

6. — Unum ex hoc tumultu educam Ausonium correctorem. Judex fuit prudens et sapiens, severitatem commiscens cum benignitate, communi omnium benevolentia honestatus, πραότατον τοῖς ἀδικουμένοις ὄμμα, καὶ τοῖς ἀδικοῦσιν φοβερώτατον, ab omni fastu ac supercilio remotissimus (1). Ille, quum suum convitiatorem penes se haberet, omni convitio superiorem se reputans, admonitum, indemnatum ac sibi conciliatum dimisit. Punire enim cuivis promptum est, veniam autem dare Ausonii similium (2). Ille pauperum commodis consulebat, et omnia æquo et recto posteriora ducèbat (3). Ille ab imperatore statua ænea et inaurata donatus, ampliora etiam præmia a Christo accipiet, atque ex probi imperii ac præfecturæ thronis in cœlestes ordines exoptabitur (4). — Urbs universa reo cuidam veniam ac liberationem expetebat. Reluctabantur inferioris juris magistratus. Ad Ausonium rogationem civitatis Isidorus defert. — Rabula quidam rusticanum hominem in crimen vocat. Sed in tuto est innocentia apud Ausonium. Isidorus amicum hortatur uti rabulam coerceat, alterum vero quamprimum reddat agriculturæ (5). De cætero correctores non erant inferioris juris magistratus, sed ipsi quoque *clarissimi* vocabantur, quanquam non ad civilem administrationem sed ad judiciariam potestatem, aut ad

(1) V, 418, 419, 420.
(2) V, 428.
(3) I, 165.
(4) I, 395.
(5) V, 212.

rem nummariam, operam darent (1). Alius corrector fuit, Petrus nomine, assentatorum et scurrarum cupidior quam amicorum. Hunc docte et delicate Isidorus admonet de verae amicitiae natura : « Ἰσότης φιλότης, vir praeclarissime. Inaequalitas enim necesse est ut amicitiae detrimentum ac perniciem afferat. Quamobrem cave tu quoque ne eodem homine et amico et adulatore utaris. Neque enim ille id feret, qui æquo jure amicitiam tecum contraxit » (2).

7. — Herminum quoque, Comitem clarissimum, honoris causa nominabo, qui et amantissimus fuit Isidori et in summam ejus amicitiam acceptus. Herminus, quum sit mansuetudinis forma et effigies, omnium laudibus cumulatur, improbos oculorum gravitate deterret, bonis ac frugi hominibus serenum ac placidum vultum ostendit. « His igitur admirandis virtutum dotibus, vir admirande, in perpetuum utere ». Herminus nomen habet sapientissimi hominis ; det ergo operam necesse est ut ne secundo fortunæ statu immutetur. Nunc novum imperium adeptus, majorem sibi nominis celebritatem atque admirationem comparabit, si eos a quibus olim injuria affectus est minime ulciscatur. His consiliis usus, vir vero christianus injurias ex animo delevit. Tum Isidorus : « Scito, inquit, magnanimitatis te gloriam consecutum, hosti parcendo : quod et ipsum ego mores tuos accurate cognitos

(1) De *Correctorum* munere et aliis hujusmodi, cf. *Notit. dignitatum tam civilium quam militarium in partibus Orientis et Occidentis*. Ed. Boecking, 1835.

(2) III, 145.

habens prædixeram, ut agendo ostenderes summam generositatem, et pusillanimes argueres. Erant enim qui id non credebant, ii scilicet qui ex seipsis de aliis judicant; exitus tamen eventusque ostendit me non aberrasse. Quem enim capere studuisti, cepisti primum et captum dimisisti, ne imbecillis judicareris sed potens simul atque humanus ». Cæterum non ingrata munuscula Herminus Isidoro misit, fructus et olera, statimque monachus gratiam persolvit : « Præclare Deum colis, cum nobis fructuum tuorum tribuis primitias, decimamque partem ex ubertate terræ tuæ ei rependis a quo eam accepisti » (1).

8. — Nescio an vera non sit ea clarissimi viri sententia : triste ac funestum omen esse civitatibus caussidicorum multitudinem (2). Quod habeo compertum, si illud vere, non inaniter dictum arbitraris, pessimo loco erat Pelusiaca respublica Isidorianis temporibus. Exsurgit enim ex epistolis Isidori confertissima scholasticorum turba. Triginta equidem numerando percensui, de quibus si omnia exequi velim, nunquam satis esset verborum; idcirco unum ex iis vix strictim attingam, Theodorum nomine, bonum ac facundum oratorem sed hominem litigiosum, cui jurgia et contentiones erant voluptati. Adspice quæso hominem, versatur enim

(1) I, 18, 43, 126, 136, 229, 230, 242-247, 287, 288, 317, 334; II, 137, 219, 235, 237, 238; III, 195, 253, 255, 370, 375, 376; IV, 29, 66; V, 106, 107, 249, 276, 277, 299, 300, 341, 356, 357, 371, 400, 470.

(2) D. Nisard, *Poët. Lat. de la décadence.* Martial, § 11.

ante oculos : « Quidam te, o Theodore, ob ingenii acumen ac dicendi facultatem admirantur ; at simul contentiosum atque ad audiendum difficilem ac morosum accusant. Nam cum ad inferiores te dimittere debeas, tu contra ne superioribus quidem et præstantioribus cedis. Quocirca si res ita se habet, ne eruditionem eam, quæ in te summa est, per animi feritatem probro affice : verum egregiæ indoli benignitatem et eloquentiæ morum suavitatem admisce, quo utrinque laudem tibi concilies » (1). Et rursus : « Frater quidem tuus, o Theodore, ob mores in admiratione est, tu ob sermonem ; ille ob animi integritatem, tu ob linguæ facundiam ; ille ob morum modérationem, tu ob verborum fastum et tumorem ; ille ut fructu scatens, tu ut foliis abundans. Quamobrem si ita est, fratrem tuum imitare, ut utroque nomine laudem et gloriam consequaris. Neque enim tam tuis ille, quam tu ipsius dotibus opus habes » (2). Animo nihilominus in Theodorum benevolo optimoque erat iste reprehensor : « Quisquis et stirpes serit, et agrum colit, spe meliore suos labores sustentat, fructuum videlicet exspectatione laborum molestiam suffurante. Ad eumdem modum in Christianæ fidei præceptis tibi tradendis a nobis elaboratum est; fac igitur ipse pullulantem agriculturam ostendas » (3). Dulcis quidem et vere paterna erat ista vituperandi ratio.

(1) III, 41.

(2) III, 40.

(3) I, 488. Cf. epistolas *ad Theod.* I, 470 ; II, 103; III, 42, 164, 379 ; IV, 33 ; V, 97, 119, 140, 232, 238, 343, 483, 484.

# CAPUT V

## DE DOMESTICIS PELUSIOTARUM REBUS

ARGUMENTUM. — 1. *Pelusiotæ parum inter se concordes.* — 2. *De religionibus disputant.* — 3. *Contumeliosos libellos scribunt.* — 4. *Simplicii bibliotheca.* — 5. *De Pelusiotis quibusdam occurrentibus.*

1. — De privatis etiam Pelusii rebus aliquid exprimitur in Isidori epistolis ; neque tantum patent urbis portæ, sed etiam civium januæ ac fores. Videmus inter cives, affines, et propinquos odia sæpe exoriri, Isidorum vero semper adesse auctorem ut omnis simultas exstinguatur. Fama est filium Didymi maximum a natu minimo valde dissidere, patremque ejus rei esse conscium, fingere tamen quasi nesciret. Hortatur Isidorus Didymum ut inter filios reconciliet concordiam et amorem (1). — Domitii comitis familia secum ipsa studiis discors erat ac distracta : cæterum a Christiana religione vehementer abhorrebat. Litterati erant homines : Domitius enim Homerum semper in ore habebat, ac pæne Deum faciebat (2). Divinas autem litteras neque ipse legebat, neque legi a filiis patiebatur (3). Hunc Isidorus haud semel monuit Evangelicum præconium, licet comptæ

(1) V, 206, 207.
(2) IV, 30.
(3) IV, 198.

orationis calamistris destitutum, divinam habuisse efficacitatem. Scribebat etiam ad liberos Domitii: « Etsi frater quidem vester sanguine, noster vero spiritu, abiit hinc quidem nuper quasi non amplius rediturus, nisi ut vos quærat; accessit tamen denuo, ut non amplius abiturus, nactus suam capturam; sed a caritate impulsus veniet iterum quærens vos ad vitam » (1). Hanc satis obcuram epistolam sic Schottus interpretatus est: «Puto filium istum Domitii Christianum fuisse et suos religionis causa reliquisse, quod spes nulla convertendi affulgeret».

2. — Sæpe atque acriter Pelusiotæ disputabant de Religionibus. Ad Ammonium Scholasticum græcorum deorum adhuc cultorem, Isidorus mittit duos codices Veteris et Novi Testamenti, atque hominem satis eruditum hortatur ut τὰς Ἑλλήνων θεοποιίας καὶ ἃς καλοῦσι θεογονίας, quas Orpheus, Hesiodus et alii confecerunt, cum christianæ religionis monumentis conferat et quod melius visum fuerit amplectatur (2). Agathodæmon quoque Grammaticus falsorum numinum cultor fuisse videtur, ad quem Isidorus rerum pleniorem illam quam verbosiorem epistolam exaravit: « Ex iis, quæ evenerunt, optime vir, majora tibi perspicere licet. Etenim ὁ Ἑλληνισμὸς et temporibus et armis et eloquentia corroboratus ex oculis evanuit. Nostra autem relligio plebeiis et illiteratis et pauperibus atque abjectis hominibus demandata, brevi temporis spatio fulgetræ in modum quoquo gentium pervasit, non

(1) V, 5.
(2) I, 21.

oculos dumtaxat, sed mentes etiam illuminans; quoniam videlicet ille ex commentitiis fabulis constabat, hæc autem ex cœlestibus doctrinis compacta erat » (1). Sed Grammatici animus obdurescebat dum minus sanctam atque honestam Christianorum quorundam hominum vitam scrutabatur: quem ad leniter et humanæ conditioni convenienter judicandum Isidorus amice hortatur: « Τὸ ἀναμάρτητον quæris, quod solius Dei est. Si autem ea quæ naturæ congruunt investigare cupis, hæc sunt: nullum voluntarium scelus attingere, quod quidem pii hominis est; non in multa delicta incidere τῶν ἀκουσίων, quod eorum proprium est qui ad Deum appropinquare student; et quod illis inferius est ac multis perfacile, nunquam diu in peccatis permanere » (2). Isidorus olim de rebus fidei coram disserebat cum sapiente quodam Græco, qui maximam eloquentiæ gloriam apud multos obtinuerat. Philosophus Christi passionem et crucem proferebat, inque risum super his effusum solvebatur. Isidorus vero mansuete: « Unde, inquit, demonstrare potes, Christum fuisse crucifixum? » Omnibus vero qui audiebant admiratione perculsis et cogitantibus quidnam intendens conficere hoc Isidorus dixisset, respondit alter quasi qui *sine pulvere* palmam reportaturus esset: « In *Evangeliis* scriptum est ». Cui e vestigio noster regessit: « At in iisdem hoc quoque quod morte devicta revixerit et in cœlum redierit, scriptum habetur. Si ergo credis *Evangeliis*, tam hoc quam

(1) I, 270.
(2) I, 435.

illud affirmantibus fidem habeto ; sin minus, rem facis absurdissimam, dum alterum quidem complecteris, alterum vero repudias..... Si splendida ea quæ de Christo in sacro codice commemorantur, contumaciter excludis ; noli ex iisdem fontibus probrosa proferre ». His dictis tantus exortus est applausus, ut et Isidorus et philosophus simul erubescerent. (1)

3. — Nota est et eruditis explorata veterum Ægyptiorum consuetudo epistolas in contumeliosos libellos convertendi. Vir doctissimus, G. Maspero diligenter exposuit quam magna verborum atrocitate usi fuerint antiqui isti convitiatores (2). Ast ego arbitror pristini moris reliquias semper hæsisse in Pelusiotarum medullis et visceribus. Harpocras sophista, quum a flagitiosis hominibus Zosimo et Marone male esset acceptus, acerbumque esse èxistimaret eos judicis sententia puniri, non tamen omnia vellet premère silentio, adversariorum maledicta contumelioso libello seu *Monodia* vindicavit. Id consilii non aperte vituperat Isidorus, nihil vero ad laudem illustrius esse statuit quam de referenda injuria minimum laborare (3). Libellus jam confectus Isidoro affertur ut ipse mittat ad Zosimum. Isidorus vere timere ne bellum asperius in Harpocram concitet, moram interponere, tandem ad sophistam scribere, si mitti omnino velit, ipse

(1) IV, 31.

(2) G. Maspero, *Du genre épistolaire chez les anciens Egyptiens*. Paris, 1873.

(3) V, 48.

auctor mittat, ut ne implacabilis belli invidiam in alium rejicere videatur. (1) Subtilis tamen atque elegans libellus erat : « Ut egregius pictor qui ferocem elata cervice equum exprimit, ac tantum non spumantem repræsentare studet atque cum ipsa natura pugnat, ita Harpocras imaginem Zosimi clare effinxerat ut nativam illius formam videre potius quam litteras legere arbitrareris » (2). — Eodem fere modo intercesserunt Agathodæmoni cum aliis graves inimicitiæ, quos aculeato commentario Grammaticus perstrinxit. Tum multi auctorem laudibus efferre, librumque ut prudentissimum pleno ore celebrare, qui efferati odio animi opus erat. Isidorus haud ita depravate judicavit, sed amico viro suasor factus est ut rationem iræ anteponeret, sicque et ad loquendum et ad scribendum se compararet. Nam si ante rationem iracundia prorumpit, πάντα ἄνω καὶ κάτω ποιήσει » (3).

4. — Sunt quoque alii Pelusienses qui magis deridiculo habentur quam odio. Nonne intrabis ædes Simplicii, non illius, ut videtur, Augustamnicæ prætoris, sed hominis bene peculiati. Ille Simplicius, acerrimus amator librorum, lector vero parcus et infrequens, nullis sumptibus pepercerat ut volumina undique contraheret. « Idem facis quod ii qui frumentum comprimunt ac tineas alunt. Nam

(1) V, 52; Hic Schottus in errorem labitur, quando aperte significat in argumento epist. 53 *Monodiam* ab Isidoro missam fuisse.
(2) V, 198.
(3) III, 303.

libri quoque tinearum parentes ac nutritii fiunt, cum vinciuntur. Quare aut opibus tuis utere, aut ne litteris injunge detrimentum. Nimirum hic etiam copiosos sales colliges, dum βιβλιοφθόρος aut βιβλιοτάφος aut ζητοτρόφος nomen habebis ; atque coram Deo in crimen vocaberis, ut qui utile talentum occultaveris et improbe defoderis » (1).

5. — Nunc in plateas, in vicos, in angiportus si descenderis, obvios habueris homines quos nostrorum temporum esse æquales forte dixeris. Ecce occurrit tibi Theanus, lapillis et auro ornatus, crinibus intortis, oculis fuco illitis ut mulierem esse cum Heumanno putares (2). — Venit Alexander poeta, mulierum specie et venustate nimium affectus, Homericum versum frequenter dictitans (3) :

Καλή τε, μεγάλη τε, καὶ ἀγλαὰ ἔργ' εἰδυῖα (4).

— Lycæna, etsi vidua est et luctus nomen obtinet, juvenilem in modum se gerit atque ornate et ele-

(1) I, 127. De vivo quodam Simplicio Theophrastus noster : « Je vais trouver cet homme, qui me reçoit dans une maison où, dès l'escalier, je tombe en faiblesse, d'une odeur de maroquin noir dont ses livres sont tous couverts; il a beau me crier aux oreilles, pour me ranimer, qu'ils sont dorés sur tranche, ornés de filets d'or et de la bonne édition..... ajouter qu'*il ne lit jamais*, qu'il ne met pas le pied dans cette galerie, qu'il y viendra pour me faire plaisir; je le remercie de sa complaisance, et ne veux, non plus que lui, visiter sa tannerie qu'il appelle bibliothèque ». *Les Caractères,* chap. XIII.

(2) I, 461.

(3) II, 89.

(4) *Odyss.*, o. 418.

ganter induitur (1). — Philippus monachus lepore mobilior, huc illuc vadit, pinguium mensarum assecla (2). — Hesychius *clarissimus* splendidam domum ac lautissimam exstruit, et interim mentem tanquam vilissimum aliquod ac nullius omnino pretii jacere leviter fert (3) — Dometius medicus est et corporum morbis remedium adhibet, animum autem gerit graviter ægrotum. « Moribus tuis quam primum affer medicinam, o Dometi » (4). — Hierax etiam medicinam profitetur, et nescio qua ægrotorum fortuna, opibus auctus est amplissimis ; quare pauperrimum quemque contemnit et monachos imprimis animo aspernatur. Hieracem vero Isidorus castigat, paupertatis defensionem in Aristophanis comœdia commemorans : Dea enim hominibus invisa, se ostendit ἀγαθῶν ἁπάντων οὖσαν αἰτίαν (5), philosophiæque atque omnis artis ac scientiæ parentem (6). — Tuba, miles gloriosus in urbe cum ense versatur, ac bellicum habitum in medio foro circumfert. « Si bellico apparatu delectaris, o Tuba, ac præconis voce celebrari, statuasque consequi cupis, ad exercitum qui cum barbaris pugnat, te confer ; ac ne militiæ fugam pecuniis redimens domique desidens, bellum illic debitum, hic tanquam per ludum adumbra » (7). — Ferunt etiam

(1) I, 279.
(2) I, 41.
(3) II, 156.
(4) I, 391 ; in editis : *ad Domestium* ; Possinus vero ex cod. Alt. *ad Dometium*.
(5) Aristoph. *Plut.*, v. 469.
(6) II, 168.
(7) I, 41. Cf. I, 326, 327 *ad Joannem militem*.

alium militem, Isaiam nomine, seditiosum ac turbulentum virum in deserto loco ἐχλαγωγεῖν, et non modo vicinis infestum esse, sed etiam urbis incolis struere insidias. Infandum latronem ita Isidorus increpat : « Si gladiorum cuspides ac thoracem præsidio tibi ad bene vivendum esse existimas, prædas agens et vias desertas reddens, hoc scito multo firmius te septos et armatos miserrimam mortem retulisse » (1).

# CAPUT VI

## ETHICÆ ISIDORIANÆ COMPENDIUM

ARGUMENTUM. — 1. *Virtus, summum bonum hominis.* — 2. *Virtus facilis quædam res et jucunda.* — 3. *De causis virtutem efficientibus.* — 4. *De virtutum seminibus.* — 5. *Virtus in mediocritate.* — 6. *Divisio virtutum.* — 7. *De virtutibus moralibus.* — 8. *De fortitudine.* — 9. *De temperantia.* — 10. *De liberalitate et avaritia.* — 11. *De magnanimitate.* — 12. *De mansuetudine.* — 13. *De affabilitate et lenitate sermonis.* — 14. *De veracitate.* — 15. *De virtutibus intellectivis.* — 16. *De amicitia.*

1. — Peripateticus plerumque est Isidorus in doctrina morali atque adeo in hac scribendi ma-

(1) I, 78. Cf. I, 167, 482; II, 292 ; III, 32, 52.

teria copiosus ut universos vicissim ad Nicomachum libros ex ejus epistolis, si meorum esset nervorum, fere colligerem. Quæ pars mei operis, etsi minus necessaria videtur, hanc tamen utilitatem præ se feret, ut quænam imprimis vitia tum temporis Pelusii viguerint, ex ipsis Isidori præceptis quisque percipiat. — Omnes vere philosophi in hoc consenserunt quod summum hominis bonum in virtute sit quærendum; id sæpenumero ipse statuit Isidorus : Πάντων τῶν ὄντων ἢ δοκούντων ἀγαθῶν μέγιστόν τε καὶ κάλλιστόν ἐστιν ἡ ἀρετή (1). Verum inter Stoicos et Lycæi studiosos quæsio nobilis movetur, sitne habitus virtutis maximum illud bonum, an vero virtutis actio. Fatebantur quidem utrique utramque semper conjungi; nam actio virtutis nulla constans est nisi ex habitu proficiscatur; et habitus virtutis in mente nullus esse potest nisi actiones suas producat. Volunt tamen Stoici, si hæc duo inter se conferantur, eminere virtutis habitum ; Peripatetici vero contra antecellere virtutum actiones. Hanc sententiam Isidorus certe sequitur, dum sæpissime clamat contemplationem sine virtutis usu et actione esse mancam. Virtutem Isidorus in cœlum laudibus extulit, atque ita celebravit ut lyricorum more canere videretur : Ἀρετῆς ἴσον οὐδὲν, quæ neque in paupertate deprimitur, neque in servitute illiberalia ministeria et officia sustinet ; eodemque modo neque in opibus et copiis insolenter se effert, neque in imperio et magistratu animis attollitur. Verum his omnibus scientiam suam adhibens, ea compo-

(1) V, 186. Cf. II, 225.

nit ac moderatur. Si versum illum Homericum accurate perpendis:

Καλή τε μεγάλη τε καὶ ἀγλαὰ ἔργ' εἰδυῖα,

de virtute id dictum esse videbitur. Quid enim ea præstantius? quid pulchrius? quis splendidiora opera novit quam ejus quæ rerum inæquabiles status per suam philosophiam complanat, eumdemque in disparibus rébus animum servat, luculentamque ac celebrem sibi ipsi gloriam conciliat, atque eos quidem, qui in calamitates cadunt, consolatur; eos autem qui ob florentem statum in contumeliam atque insolentiam prolabuntur, castigat et coercet (1). — Ἀρετῆς ἴσον οὐδὲν, non ænea statua auro rutilans, non olympica corona, non opes, non pulchritudo, non robur, non imperium, non regnum, non aliud quidquam eorum quæ magna esse videntur, magnum est et expetendum. Tempori enim cedit, et exstinguitur, atque in oblivionem abit. Sola autem virtus præclaram et nunquam intermorituram gloriam obtinet, ut quæ nec vetustati cedat, nec oblivione conteratur, nec marcescat, verum recentem semper ac vegetam et florentem dignitatem habeat (2). — Ἀρετῆς ἴσον οὐδέν, virtus ab omnibus extollitur et celebratur (3), etiam ab improbis (4); virtus latere nequit, et, invidia obscurata, iterum elucescit (5); quemad-

(1) II, 89.
(2) II, 286.
(3) IV, 165.
(4) II, 174.
(5) V, 169.

modum fax in nocte illuni omnes oculos ad se allicit, sic et virtus, quamvis invitis ac nolentibus suis possessoribus, omnes homines illuminat et suopte fulgore præfulget (1) ; virtus nos Deo conciliat et inter nos connectit (2) ; virtutis ea natura est ut mors eam non attingat (3) ; divina quædam res virtus, o beate, et Deo grata, et felix et immortalis et ab oblivione insuperabilis (4) ; virtus, etiam submota mercede, ipsa sibi merces et corona, decus et ornamentum (5) ; virtute tandem propinqui et affines Christo efficimur » (6).

2. — Id semel atque iterum exquisitis rationibus Isidorus confirmavit, virtutem scilicet vitio faciliorem esse atque jucundiorem : « In hac etiam vita, vir optime, optimi viri et βασιλικώτατοι (sic enim eos, qui virtutibus florent, appellare fas est) magis vivunt τῶν ἀνδραποδωδεστάτων (sic quippe vocare par est eos qui præposteris voluptatibus ancillantur). Probi enim ac virtute præditi, quum sint omnibus rebus sublimiores, non modo animi molestiam, sed etiam timores et pericula, et quasvis mutationes superant, nonnihil perpetiendo, sed ingruentia etiam mala contemnendo. Contra qui in vitiorum cœno volutantur, mihi, ob eos qui hinc oriuntur mœrores et metus et pericula atque infinitum perturbationum

(1) IV, 10, 149.
(2) II, 134.
(3) II, 14.
(4) IV, 224 ; II, 14.
(5) II, 184.
(6) IV, 46.

examen, ne vivere quidem videntur. Nam sive mors exspectetur, etiam ante mortem præ metu moriuntur; sive contumelia, sive paupertas, aut aliud quoddam inopinatum mali genus, prius etiam quam id ipsis experiri contingat, intereunt » (1).

3. — *De causis virtutem efficientibus* varie olim disputarunt philosophi. Galenus et medici qui illum sequuntur contendunt virtutis causam esse *harmoniam* quamdam corporis. Sed ista opinio plane est falsa et perniciosa. Namque experientia constat multos esse fortes ac prudentes atque omni virtute conspicuos, quorum tamen temperamentum corporis contrarium videtur indicare. Deinde quo pacto defendet Galenus eas quæ quotidie fiunt morum mutationes? « Multi namque libidinosi qui fuerant, ad castitatis studium sese contulerunt; multos è contra temperantiæ sectatores impuritatis morbus invasit; neque vero de ipsis dici potest, temperamentum corporis esse mutatum » (2). Aristoteles vero causam adæquatam et veram virtutis statuit assuefactionem sive exercitationem : comparatur enim virtutis habitus per crebram virtutis actionem, quemadmodum fabricando fit faber, reliquæque artes comparari solent crebris exercitationibus. Eamdem sententiam sæpe significat Isidorus. Monet virtutem esse sedulo exercendam et multo labore acquirendam. « Consuetudo enim nos tanquam

(1) II, 147. Cf. II, 67, 240.
(2) IV, 125.

tyrannus regit (1) ; consuetudo valentissima rès est et in naturam paulatim abit, alteramque esse naturam quidam affirmant ; alii etiam a consuetudine superari naturam, illud veteris poetæ (2) adhibentes, asserunt :

Πέτραν κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχοῦσα.

Et vero quid saxo durius ? quid aqua mollius (3) ? Attamen actu assiduo naturæ vincitur durities » (4). Aristoteles satis commode eos admonet qui virtutem nondum sunt adepti, et tamen ejus desiderio tenentur, se ipsos flectant et quasi cogant, etiam cum molestia, in partem vitio plane contrariam, et imprimis eam quæ a voluptate omni longissime distat, quia natura maxime ad eam proclives sumus. « Voluptas enim si vos fractos et dissolutos inveniet, nullo negotio vos superabit ; si autem vigiles ac sobrios, καὶ ὀργιζομένους αὐτῇ, quamprimum discedet (5). Ea de causa, virtus quæ omnibus quidem rebus

(1) II, 46.

(2) Hunc proverbialem versum Chœrili (non Iassii quidem, de quo Horat. II, epist. I, 233, ut Schottus putavit, sed Samii Iassio antiquioris) Fr. Dübner attulit ex Simplicio et Galeno (*Fragm. Epicorum* ad calcem *Hesiodi*, Didot 1840, p. 26, nº 9) non iisdem verbis.

Πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ.

Cf. Lucret. *Rer. Nat.*, IV, 1280 ; Ovid. IV *Pont.* x, 5 ; Tibull. I, IV, 18.

(3) Eadem plane est sententia Ovidii, *Art. Am.* I, 475 :

Quid magis est saxo durum ? Quid mollius unda ?
Dura tamen molli saxa cavantur aqua.

(4) V, 236.

(5) II, 239.

*regium in morem* imperat, id est pacifice et suaviter, in solam voluptatem *tyrannice* dominatur » (1).

4. — Naturales tamen sunt quidem affectus qui hominem ad virtutem inclinant, a Cicerone *virtutum igniculi*, *scintillae* et *semina* frequenter appellati. Etsi Aristoteles virtutes ac vitia per solam assuetudinem rectam vel pravam in mentibus insculpi posse affirmat, tamen, capite ultimo VI libri *Ethicorum* et alibi, eos virtutum igniculos videtur agnoscere. Et vere quidem sunt reliquiæ imaginis Dei a Deo in natura insitæ, non tantum ad Deum cognoscendum, sed ut rerum honestarum et turpium discrimen homo plane perspiceret. Habet in se natura ipsa, Isidorus ait, virtutum exquisitum et incorruptum judicium (2). Unde etiam videmus quosdam ad hanc potius virtutem proclives esse, quam ad aliam. « Quanquam omnes virtutes amabiles sunt illis qui a rerum honestarum et pulchrarum amore non sunt alieni : tamen quidam erga quasdam ipsarum magis sunt propensi. Alii namque temperantiam, alii justitiam, alii prudentiam, alii fortitudinem, alii denique alias virtutes præcipuo quodam cultu atque honore prosecuti sunt, non quod ab aliis essent deserti, sed quod ab his essent insigniores effecti » (3). Quid quod illi qui earumdem virtutum amore tenentur, non eodem modo erga eas affecti sunt, sed alii vehementius, alii moderatius eas sectantur? Quam multi sunt

(1) IV, 78.
(2) IV, 53.
(3) IV, 114.

sobrii, inquit, et temperantes, sed dissimiliter; quam multi sunt misericordes, sed inter se differunt. — Amœnissimum vero Isidori locum non præteribo, quo istas virtutum scintillas, ita injectas mentibus, monet esse augendas, fovendas; vetat excutere et exstinguere : « Quum hominibus naturaliter insita sunt virtutis ac probitatis semina, nonne in viris vere bonis et multa exercitatione virtutum conspicuis, illa semina integra et incolumia servari existimas? Neque enim scilicet putandum est, dum novas dotes insuper acceperunt, eos prioribus dotibus fuisse orbatos » (1). Virtus ergo excellens et ipsa christiana sanctitas, licet magnis laboribus comparata, naturam non tollit, non opprimit, sed perficit idoneam et jam firmiorem erigit ad excelsam quamdam et sublimem imitationem Dei.

5. — Forma virtutis secundum Aristotelem, consistit in *mediocritate* quoad nos. Quod ut intelligatur, sciendum est, quemadmodum falsum est multiplex, ita malos affectus esse varios et multiformes; quemadmodum autem verum est unicum et simplex, ita virtutem in media inordinatorum affectuum turba proprie consistere. Eodem modo Isidorus : « Ut corporeæ pulchritudinis norma, membrorum apta proportio est : ita etiam extrema spiritualis pulchritudinis linea in virtutum proportione consistit..... Unde etiam virtutes definierunt esse μεσότητας (2)..... Quoniam inter profusionem et

(1) II, 2.
(2) III, 131.

sordes media est liberalitas : animi autem magnitudo inter superbiam et humilitatem interjecta est : pietas denique inter superstitionem et impietatem (quæ causa quoque est, quod sapientes, cum vitia virtutibus vicina definivissent, medium locum virtutibus tribuerunt) ; mihi etiam ad omnes virtutes media via optima esse videtur » (1).

6. — Virtutes apud Peripateticos aliæ sunt voluntatis, aliæ intellectus. Priores proprie ἠθικαὶ, id est morales, posteriores διανοητικαὶ, id est intellectivæ dicuntur. Homo intellectivis virtutibus præditus apud Isidorum vocatur sapiens, ethicis vero ornatus vocatur bonus : « *Sapientes* quidem hos appellavero qui intellectus virtutibus sunt præditi, quales sunt, qui rationi convenienter vivunt, quique rerum cognitione sapientiaque præditi sunt. *Bonos* vero dixero virtutibus quas dicunt ἀλόγοις ornatos..... Si vero quis et intellectivas et quas vocant ἀλόγους virtutes habeat, hunc ego et bonum et sapientem nuncupavero » (2).

7. — Stoici veteres diviserunt ethicas virtutes in species quatuor : nempe prudentiam, justitiam, fortitudinem et temperantiam ; quos in hac parte Isidorus sequi videtur. In sua enim ad Harpocram epistola de spectaculis (3), ostendit has quatuor quas *cardinales* appellant virtutes, quatuor ludorum formis amitti. Nihilominus cum Aristotele

(1) IV, 120. Cf. II, 241 ; V, 188.
(2) V, 110.
(3) V, 185.

identidem loquitur de liberalitate, magnificentia, mansuetudine, clementia, affabilitate et aliis animi rectis affectionibus.

8. — Fortitudo, si vocis usum spectes, vel corporis est vel animi. Fortitudo corporis seu robur in lacertis et viribus consistit, quæ cito marcescunt (1). Hoc proprie virtus non est, sed virtutis opportunum sæpe subsidium. Fortitudo animi ab Aristotele definitur mediocritas περὶ θαῤῥαλέα καὶ φοβερὰ id est, circa ea quæ fiduciam aut metum gignunt (2). Mediam ergo viam sequitur fortitudo inter temeritatem et metum. Objectum fortitudinis est duplex : internum atque externum. Internum objectum sunt acerbiores iræ atque majores animi cruciatus, quos fortitudo reprimit ne modum transeant. Ideo Heraclitus pronuntiaverat χαλεπὸν θυμῷ μάχεσθαι. Ira enim omnium affectuum ac perturbationum vehementissima mentem sæpe fallit et cogitationis saltu antevertit. Quam qui freno compescere intraque suos terminos concludere valet, jure vir fortis et magnanimus vocabitur (3). — Externum objectum fortitudinis rursus duplex est, civile vel bellicum. Multa enim sunt mala, plurimæ calamitates quæ in vitam communem incidunt, et quorum tolerantia ad patientiam sæpe refertur ; qualia sunt jactura bonorum, paupertas, ignominia, morbi, mors amicorum, etc. Porro divitiæ, etsi periculosa et invidiosa res est, teter et

(1) V, 3.
(2) II, 241 ; III, 131 ; IV, 210 ; V, 188.
(3) IV, 152. Cf. Aristot. *Eth. Nic.*, II, 3.

importunus hostis (1), tamen a divitibus cum mœrore deseruntur (2) ; paupertas, omnis artis ac scientiæ parens (3), securitatis et modestiæ materia (4), vix ac ne vix quidem forti animo sustinetur (5) ; gloria inanis, vitanda christiano viro (6) et contemnenda (7), omni tamen ope quæritur; ignominia vero, quæ sæpe gloriosa est (8), graviter plerumque fertur. Morbi, qui multis coronarum causæ fuerunt (9), non minus animi vires quam corporis affligunt. Mortuos amicos lacrymis prosequimur (10), quamvis mors sit vera requies bonis et innocentibus viris (11), molestiarum finis et beatitudinis initium (12). In his omnibus pernecessaria est fortitudo animi (13). — Quia autem fortitudo ac mortis contemptus in bello maxime elucent, maximeque honorantur, Aristoteles hanc fortitudinis speciem præcipue commendat. Isidorus vero, quietus et pacificus homo, rem bellicam silentio præterit, ut maximis suis laudibus martyres prosequatur, et jure quidem. Martyres enim « quando judicium

(1) II, 146.
(2) I, 420.
(3) II, 168.
(4) II, 257.
(5) III, 101.
(6) I, 195.
(7) IV, 198.
(8) III, 205.
(9) IV, 14.
(10) II, 173.
(11) III, 12.
(12) III, 311.
(13) II, 280.

terribile ante oculos erat et frequens populus et carnifices et omni ex parte metus ingruebat, tyrannis sedentibus, et tribunis militum adstantibus, et gladiis nudatis » (1), gloriosam mortem ita amplexi sunt, ut aditum ad immortalitatem (2). Martyres, etsi victi videntur, vere vicerunt. « Inferior enim est, o sapientissime, non in bello cadens, sed hostes qui timet et clypeum jacit. Quem vero animis strenuum corpus destituit, eum inter victores adscribi lex est, cum et eos athletas certamine occumbentes magis prædicent ludorum præfecti, quam quibus nihil accidit. Quæ cum ita sint, cur putas martyres moriendo superari, et non potius præconio dignos censes? Hujus enim pugnæ finis est, non tam vitam servare corpusque tueri quam non amittere virtutis decus » (3).

9. — Alia virtus est *temperantia*, græce σωφροσύνη, quæ τὸ ἐπιθυμητικὸν seu voluptatis appetitum moderatur. « Quisquis miram et excellentem temperantiæ pulchritudinem conspicatus, ipsius amore minime captus est ac subactus, hunc a pulchrarum rerum alienissimum esse arbitror (4). Temperantia verissima voluptas ac sola Christianis congruens (5). Voluptas contra corporis spinarum ferax (6), sex-

(1) IV, 218.
(2) IV, 52.
(3) V, 5.
(4) II, 7.
(5) II, 151.
(6) I, 220.

centorum malorum radix (1), innumeros cruciatus accersit » (2). Voluptas in omnibus sensibus furit, præsertim in oculis et ore et tactu. Ex levissimis enim causis sæpe oriri impurum amorem Isidorus haud semel significavit, et Socratis, Diogenis, Agesilai, Alexandri, Cyri, præstantissimorum philosophorum ac regum dicta et exempla commemoravit (3). « Lectione didici regem quemdam, cum Ephesiam sacerdotem, cujus incredibilis pulchritudo erat, conspexisset, statim ex Ephesina urbe digressum esse, illud videlicet metuentem, ne præter voluntatem nefarii aliquid admittere cogeretur. Atque item Persarum rex Cyrus, Pantheam quæ admiranda quadam et incomparabili formæ elegantia esse ferebatur, ne videre quidem sustinuit. Cum igitur, et res ipsæ et externi auctores salutari oraculo, ut recto ac securo, testimonium dicant ; quis tanta audacia erit, ut cum aliena pulchritudine oculos assidue pascat, se tamen hinc nihil omnino detrimenti capere contendat » (4) ? Si vero turpis aspectus in summum periculum pudicitiam deducit, quid putas de tactu fore? « Quemadmodum enim in imaginibus depictis, color magis afficit spectatores quam simplex linearum ductus, sic etiam in corporibus comparatum est, ut tactus quam visus majorem

(1) II, 240.

(2) III, 218.

(3) III, 66, 84, 199.

(4) II, 62. Cf. Xenoph. *Cyrop.* V, 1 ; Plutarch. *Nim. Curiosit.* XIII.

movendi vim habeat. Aspectus enim subtilior quidam sensus et tactu castior » (1). — Cæterum verecundus et pudicus esse non potest qui ciborum suavitates ac delicias quærit (2). Gula enim furor est et rabies (3), Dei oblivionem affert (4) divinamque imaginem, qua recta et sancta sapimus, in nobis contaminat (5). Ebrietas multorum vitiorum causa (6) : Herodes, temulentiæ ludibrium factus, mensam suam tinxit magni Joannis cruore (7). Sedulo ergo cavendum ne sensus mero victi jaceant. « Vitis dicitur ἡμερὶς παρὰ τὸ ἡμεροῦν ἡμᾶς τὸν οἶνον, opportune sumptum ac moderate. Fidem enim amoremque mutuum conciliat, lætitiæ etiam causa est et mœrorem averruncat, ignaviam excitans ac pellens. Ægris opem variis in morbis affert, sanis vero valetudinem tuetur atque conservat. Si quis vero τὸ μηδὲν ἄγαν καὶ τὸ μέτρον ἄριστον negligens in vino debacchetur, vinum injurias suas vindicabit, caput et tempora conturbabit, robur exagitabit, corpusque adeo totum solvet, atque potatorem manus pedesque vinctum per ora amicorum et inimicorum traducet » (8).

10. — Tertia virtus, de qua Aristoteles agit, est *liberalitas*, ἐλευθεριότης, quæ proprium objectum habet

(1) IV, 109.
(2) I, 220.
(3) I, 345.
(4) I, 183.
(5) I, 194.
(6) I, 279.
(7) I, 203.
(8) V, 413. Cf. I, 495; II, 109; V, 45, 73.

τὰ χρήματα, scilicet nummos qualescumque et opes. Hanc virtutem non nomine quidem proprio, re tamen ac ratione Isidorus haud semel laudavit. Officia quippe hominis liberalis sunt duo : juste accipere et recte erogare. Porro nonnulli erant hoc tempore minus integri judices ; nonnulli erant sacerdotes atque episcopi sacrarum rerum mercatores et relligionum venditores. Pauci pauperum inopiæ liberaliter consulebant ; multi in divitiarum cupiditate nimii, avaras et insatiabiles manus ad omnia porrigebant. « Quo tandem pacto ille recte judicaret, cui lucri studium oculos exstinguit ? Quemadmodum si alteri bilanci aurum imponis, lanx deprimitur et inæquale ostendit jugum : sic et judex, cum auro corrumpitur, nihil rectum aut salutare judicat » (1). — « Si invito animo, ac suffragiis et populi contentione manibusque coactus, Ecclesiæ curam suscipis, o Leonti, opitulatorem Deum habebis. Sin autem pecuniis, ut rumore jactatur, thesaurum quem pretio addicere nefas est, occupasti, ac Simonis in modum sacerdotium consecutus es, illud scito : Caïpham quoque pontificatum emisse et omnem istiusmodi mercatorem novum esse Caïpham et illum Χριστοκτόνον » (2). Christiana liberalitas beneficiis atque egentium miseratione potissimum exercetur. Homo vere liberalis in suis donis ac sumptibus has fere regulas servat apud Aristotelem et Isidorum, ut non det nisi honestis et honestatis

(1) V, 182.
(2) I, 315.

causa, ut det quantum et ubi et quando oportet, ut det cum hilaritate, ne beneficii gratia aut splendor pereat, ut det pro facultatibus, ne fons ipse, unde datur, exarescat. Quod intempestive fit, semper molestum est; et beneficium opportunitate destitutum, beneficii nomen amittit (1), opportunitas donum majus et amabilius reddit, opportunitas parvum munus auget, et si magnum est, maximum atque amplissimum facit (2). Non ex ipsa muneris magnitudine aut parvitate, sed ex animi proposito liberalitas æstimatur (3). Ut benefici, non modo laudandi sunt, ii qui dederunt, sed ii etiam qui dare voluerunt, etsi non potuerunt. Si quis enim ab eventu, non a consilio rem judicat, imperitum et insulsum se ostendit (4). Tanquam ingenua quædam et nobilis virgo, Christiana liberalitas est occultanda (5). Suavem imprimis epistolam scripsit Isidorus ad Alexandrum poetam, quod liberalitas minime mercenaria est, sed omnino gratuita (6). — Nunc contra avaritiam Isidorus classicum canit. Longam et gravem epistolam exarat ad Casium Scholasticum, avido ingenio hominem. Adversus Demosthenis opinionem : δεῖ δὲ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἔστι γενέσθαι τῶν δεόντων, affert Isocratis (7) sententiam, viri minus Demosthene eloquentia valentis, sed

(1) III, 170.
(2) Ibid.
(3) IV, 118.
(4) V, 333.
(5) II, 214.
(6) V, 331.
(7) Cf. Isocrat. *ad Demonicum*.

magis veritate : Πλοῦτος δὲ κακίας μᾶλλον ἢ καλοκαγαθίας ὑπηρέτης ἐστίν. Affert etiam vetus scolion, doctis fere inauditum, in quo Plutus, divitiarum Deus, diris precationibus defigitur : ἀπόλοιο, ὦ Πλοῦτε, καὶ μήτε ἐν γῇ φανείης, μήτε ἐν θαλάσσῃ (1). In alia epistola ad Martinianum fingit sibi Avaritiæ Deam, monstrum horrendum, ignem spirans ac sexcentas viperas crinium loco in capita habens, sexcentis manibus aduncis homines lacerans, atque pecunias extorquens, sexcentis oribus sibilans, mortiferum venenum evomens, calumnias struens, adulans et pejerans, oculos attollens lubricos, sanguineos ac truces, aures habens adeo septas et obtusas ut neque supplicum preces et gemitus, neque vituperatorum convitia percipiat, non pennis, non pedibus utens, ast immobile in animis insidens, ferreo quovis onere et plumbeo gravius (2).

11. — « *Magnanimum* ego appello, qui et rebus secundis moderate, et sinistris fortiter ac strenue utitur » (3). Differt igitur multum magnitudo animi ab ambitione et pernicioso honorum studio. Magnanimitas ardua difficiliaque generose aggreditur, quæque alios inflare solent, temperate et verecunde ferre novit. Ambitio gloriam dumtaxat respicit. Hæc, nisi laudatores habeat, nil pulchri facit : illa ipsi sibi satis est, etiam illaudata; hæc videri, illa esse optima stu-

(1) II, 146.
(2) II, 233.
(3) III, 381.

det (1).— Quod Aristoteles τὸ ταπεινὸν a viro magnanimo prorsus alienum judicat, et eum facit aliorum despectorem nulliusque laudatorem, id Christiano viro non sine aliqua difficultate probabitur. « Equidem ipse, Isidorus ait, τὴν ταπεινοφροσύνην ab animo magno et excelso, μεγαλοφυοῦς καὶ οὐρανομήκους, superbiam autem a vili et abjecto proficisci existimo » (2). Laudatio vero gravis et honesta nihil habet similitudinis cum adulatione. Bonus ac probus homo, dum *disponit sermones suos in judicio*, ea reprehendit quæ vere reprehendenda sunt, ea laudat quæ vere sunt laudanda (3). Cæterum Isidorus Harpocræ gratulabatur τὴν ἔμφρονα παῤῥησίαν (4).

12. — Virtutes, de quibus jam diximus, vitam publicam ut plurimum respiciunt. Quæ sequuntur, in communi omnium conversatione magis locum habent. Ac prima quidem, quæ dicitur πραότης in iræ et affectuum ex ira surgentium moderatione versatur; hoc est hujus virtutis officium ut iræ frenum injiciat, ne modum excedat et mentis acies hebescat. Ipsam quidem mansuetudinem, lenitatem, clementiam sæpe Isidorus commendavit (5). Iracundiam, odium omnemque animi asperitatem gravioribus verbis sæpe insecutus est (6). Verum

(1) V, 338.
(2) III, 188.
(3) IV, 173.
(4) V, 102.
(5) I, 162, 230, 288, 418; III, 370; V, 104.
(6) I, 310, 328, 479; II, 189, 239; III, 44; IV, 38, 111, 133, 152, 204, 223; V, 134, 145, 189, 207.

amicos præsertim ut omnes injurias contemnerent atque oblivione voluntaria contererent non solum suasit, sed et rogavit. Aristoteles, etsi fatetur hominem mansuetum libentius ignoscere quam punire aut ulcisci, judicat tamen esse servile non propellere injuriam aut perferre ignominiam petulanter illatam. In hoc melius senserunt Socrates et Plato et alii philosophiæ laude clari homines (1). Inter alias elegantissima et gravissima mihi videtur illa epistola ad Theophilum stomachosum hominem : « Quod acceptam injuriam ulcisci minime injustum sit, assentiar ; quod autem ne philosophicum quidem sit, concedi abs te æquum fuerit. Quanquam si id facile ac sine multis molestiis fieri posset, sermo tuus ratione aliqua niteretur. Cum autem ante eum qui pænas daturus est, is qui eas exposcit, sexcentis seipsum calamitatibus convulneret, satius fuerit minime committere, ut cum eo quod læsus ipse sis, alia quoque mala experiaris. Quod si obscurum tibi ac perplexum videtur quod dictum est, id perspicuum reddere conabor. Considera enim si quis illatam sibi injuriam ulcisci velit, quotnam acerbitates perferat. Primum furore perfunditur, deinde ab ira interrumpitur. Primum enim ebullit affectus : deinde ad vindictæ cupiditatem exstimulatur. Tertio infinitos fluctus excitat. Quarto mille cogitationum vias ingreditur. Quinto metus subit, ac tremor animique angor, dum illud secum agitat, quonam pacto quod cupit assequatur acceptamque injuriam vindicet. Annon videtur tibi

(1) II, 6.

hujusmodi homo ante eum qui pœnas daturus est, ipsemet pœnas dare? At qui patientiam adhibet, ab his omnibus rebus exemptus est. Ac sane merito. Nam hoc in ipsius arbitrio situm est : atque ipse totum absolvit. Ille autem alter non item. Verum et temporis commoditate opus est, et loco, et fraude, et versuta improbitate, et armis, et machinis, et adulatione, et servitute, et hypocrisi. Videsne quemadmodum difficilis quædam res sit vitium, facilis autem virtus, atque illud quidem tumultibus scateat, hæc autem de omnibus perturbationibus remota sit? Ut enim vir nequam et improbus tot ac tanta perpetitur, ita probus ac virtutis studiosus tranquillitatem obtinet. Atque is quidem qui ulciscendæ injuriæ studet, infinitam inimicitiam reddit; qui autem patientia utitur, eam quam ocissime opprimit et exstinguit : unde importunum etiam ac sævum hominem mitigat, atque ad amicitiam allicit » (1).

13. — Minime jam miramur tanta auctoritate apud omnes Isidorum floruisse : nihil quippe eo lenius aut mitius. « Quod sermo blandus ac sapientiæ plenus, medicamenti cujusdam instar, iracundiam e medio corde ferventem exstinguere queat, perquam exploratum habeo. Num autem in nostris quoque sermonibus remedium quoddam quod iram sedare possit, invenire liceat, illud non item explorate novi » (2). Illud nos plane novimus, Isidore.

(1) II, 67. Cf. I, 11, 480; II, 6, 133; III, 100, 228, 390; IV, 93, 95, 143, 179, 180, 196, 209; V, 70, 228, 232, 386, 398.
(2) II, 83.

Vix enim enumerare et consequi possem quam multos homines odio dissidentes tua morum suavitas et alloquendi lenitas in gratiam et concordiam redegerit. Nihil habebat tecum similitudinis Theodorus ille scholasticus, eruditus et eloquens, sed contentiosus, ad audiendum difficilis, et morosus, δύσερις καὶ δυσπρόσιτος καὶ δύσκολος cujus imaginem ad nativi oris formam expressisti (1). Quam dulce fuisset in tua intima familiaritate versari, tuasque litteras tanta suavitate insignes accipere!

14. — Veracitas est rectus animi habitus quo quis veritatem in vita et sermone suo constanter refert. Veritas quippe omnibus artibus et disciplinis ornamentum affert (2). Veritate nihil præstabilius, nihil illustrius (3). Tamen in re morali, veritas non quæritur ut objectum, sed in suo tantum interprete, homine scilicet, consideratur. « Malim, dum hanc veritatem sequor, omnino vinci quam mendax vincere. Vera etenim narrans, etiamsi vinci videar, vici ; fraude vero superans, etsi videor vicisse, victus sum » (4). Mendacia enim struere nunquam licet (5). Ideo apud Persas pueri ita instituebantur ut ne unum quidem mendacium dicerent vel audirent (6). In hac vero parte Isidorus modum excedit, dum vetat homines ad jusjurandum adigi : « Aut

(1) III, 40, 41, 42.
(2) III, 65.
(3) IV, 76, 130 ; V, 381.
(4) V, 401.
(5) V, 318.
(6) IV, 198.

veri studiosus est, ait, qui interrogatur; aut ex fraude et mendacio componitur. Si vera loqui solet, omnino sine jurejurando vera loquetur, si mendax est, pejerans etiam mentietur » (1). Eodem fere modo multi Ecclesiæ scriptores, et illi præstantissimi, Christianos homines quominus jurejurando se suamque fidem obstringerent, prohibuere. Verum, sicut Theologi jam sæpe animadverterunt, istius temporis homines ita sacramenti relligionem usu iniquo corruperant ut Deum temere de nugis et mendaciis obtestarentur, et dum per filiorum caput jurare metuerent, libenter per æternum Numen jurarent et perjurarent (2).

15. — Quoniam de justitia alio in loco jam pauca diximus, actutum venimus ad virtutes intellectivas, quæ quinque numerantur a Philosopho, ab Isidoro autem permiste et confuse appellantur. *Sapientia* enim plerumque pro omni virtute contemplativa sumitur (3). Alias eamdem significationem obtinet *scientia* (4). *Ars* et *intellectus*, in quantum sunt virtutes, vix dilucide distinguuntur. De *prudentia* vero, cujus præcipua ratio in Ethicis habetur, satis copiose Isidorus disserit.« Qui prudentia quidem gubernantur, ait, corpus autem habent pro instrumento prudentiæ, hi rerum pulcherrimarum gloriæ non sunt expertes » (5). —

(1) I, 155. Cf. IV, 204.
(2) II, 188.
(3) V, 110.
(4) IV, 74.
(5) IV, 38.

« Prudentia simplicitate temperata divinam quamdam rem, hoc est numeris omnibus absolutam virtutem parit. At si altera ab altera sejungatur, illa in perversitatem incidit, hæc in stultitiam desinit. Etenim illa ad malum aliquod patrandum apta est, hæc fraudi et deceptioni patet » (1).

16. — Subtiliter et accurate disputavit Aristoteles, diserte et cum multa venustate orationem habuit Tullius *de Amicitia.* Isidorus neque tam fuse, neque adeo eloquenter versatus est in eo argumento. Nonnulla tamen testimonia et ea luculenta effudit, quæ firmissimum ac fidelissimum amicitiæ cultorem fuisse ostendunt.« Amicitiæ nihil par est, cum ad virtutem consequendam, tum ad gloriam, ac denique ad hilaritatem atque jucunditatem vitæ » (2). — « Ἰσότης φιλότης, vir præclarissime. Sic enim natura comparatum est ut inæqualitas amicitiæ detrimentum ac perniciem afferat. Quamobrem cave tu quoque ne eodem homine, et amico et adulatore utaris. Neque enim ille id feret qui æquo jure amicitiam tecum contraxit » (3). Sed in suis præsertim litteris ad Leontium episcopum planius exponit quanam ratione cum Eutonio suo tam pulchram et sanctam amicitiam conflaverit : « Amicitiæ primordium, ac benevolentiæ igniculus, atque id quod et me et optimum virum Eutonium mutuo amore sauciavit, improbitatis odium fuit, quod in ipsius moribus animadverti.

(1) II, 175. Cf. I, 126 ; IV, 38 ; V, 271.
(2) V, 204.
(3) III, 145.

Posteaquam enim ipsum non modo virtutis causa, sed etiam eorum quos virtutis amor tenet, libenti atque alacri animo periculum adeuntem adspexi, hinc reliquam quoque viri illius philosophiam tanquam vestigiis odoratus, ad ipsum amandum sum incitatus. Cum autem rursum quidam σοφιστομανοῦντες pietatis christianæ dogmata convellere atque labefactare conarentur, nos vero eorum armis atque syllogismis instructi, non prius eos ferire destitimus, quam eos prorsus in fugam conjecissemus, ac perspicuam et integram victoriam retulissemus, hic nimirum secundus nobis amicitiæ, non dicam igniculus, sed fax accensa est et permansit. Nam ea divini amoris lex est. Corporeus siquidem amor, utpote χαμαίζηλος, fluit atque florum instar marcescit. Nam neque ignis, absumpta ea materia quæ flammæ causam præbuit, manet, verum una cum ea abscedit : nec sopito atque exstincto igniculo ipse amor consistit. At divina et pudica amicitia, quia rei firmæ ac stabilis est, proinde stabilis quoque ipsa est ; et quo virtutis pulchritudinem magis imaginatur, eo quoque arctius et secum et inter se devincit eos qui earumdem rerum desiderio tenentur » (1). O præclaram amicitiam ! o felicem Eutonium qui talem virum in intimis habebat et habere merebatur !

Hic finem afferam Isidorianæ Ethicæ. Quod si multa leviter et summatim attigi, pauca vero tractavi uberius, precor ne mihi culpæ detur, cum et hujus commentationis angustiæ omnia

(1) III, 87.

dici non sinerent et rerum copia haud sane facilem delectum adhibere cogeret. Illud tamen commodi hanc qualemcumque de virtutibus et vitiis disquisitionem allaturam esse sperabam, ut magis perspicuas et manifestas haberes hujus temporis et loci vivendi rationes. Jam certe perspicis Pelusiacos mores jam dudum in perniciem esse lapsos, Christianam etiam disciplinam paulatim fluxisse, præstantium virorum numerum fuisse arctiorem quam pro magna civium multitudine, Isidorum tandem et paucos Isidoro usu conjunctos adversariorum frequenter impetum ac petitiones habuisse eludendas.

# CAPUT VII

## DE HUMANIORIBUS STUDIIS APUD PELUSIOTAS

ARGUMENTUM. — 1. *Quæ sit nostri propositi ratio.* — 2. *De magistro eligendo.* — 3. *De amore veritatis.* — 4. *Bossuetus Isidori interpres.* — 5. *De historiæ utilitate.* — 6. *Agathodæmon grammaticus.* — 7. *Asclepius sophista.* — 8. *Epistola* de fato *ad Harpocram.* — 9. *De variis dicendi generibus.* — 10. *Oratiuncula* adversus Græcos. — 11. *Harpocræ discipuli.* — 12. *Laudatio funebris Harpocræ.* — 13. *Ophelius grammaticus.* — 14. *Epistola ad Proeschium medicum* de immortalitate animæ. — 15. *De magno numero litteratorum hominum.*

1. — Isidori epistolas aliquot de humanioribus litteris et liberorum institutione proferre in lucem

decreveram, et græce quidem edere. Sperabam enim ex iis epistolis novum fructum percepturos esse quosdam adolescentes mihi carissimos, quos Græcæ simul et Christianæ eruditionis studiosos noveram. Verum re diligentius considerata, quum minus idoneum tempus et locum arbitrarer, consilium integrum in meliorem opportunitatem servavi. Collegi tamen acute quædam dicta de bonis artibus et ingenuis, aut de vera docendi et discendi ratione, quæ quantum conjectura percipio, magistrorum simul ac discipulorum servient utilitati.

2. — Ante omnia magister est deligendus, integris moribus, flagranti studio, ingenio acri, abundanti doctrina. « Ego duo ista magistro inesse debere censeo, nempe vitæ puritatem ac dicendi facultatem (quam si quis σκιὰν τῶν ἔργων esse definiat, haudquaquam mihi a vero aberraturus esse videatur) ; ut per illam discipuli mores ac vitam componat, per hanc autem contumacem ac refractarium ad meliorem mentem revocet. Ut enim scribæ, accepto stylo, quam elegantissime litteras pingentes, eum tironibus deinde suis præbent, ut quantum facultas ferat, eas imitari possint : eodem modo præceptoribus etiam faciendum est, ut vitam suam tanquam imaginem quamdam scite depictam, discipulis proponant, quo eam, quantum vires tulerint, imitentur. Quod si isti, non modo ab omni reprehensione alienam, sed etiam admirabilem vitam intuentes, hinc tamen ad virtutem minime inducuntur, hoc certe non jam magistro, qui nihil eorum quæ facere oportuit, prætermisit,

quispiam adscribendum putabit, sed discipulorum socordiæ. Quoniam autem aiunt nonnulli : quin discipulos suos metu a vitiis arcent magistri? hoc respondemus : Et quis tandem magistrorum metu commovetur? — Objurgare oportet. — At hoc sæpe factum nullam vim habuit. — Baculo persuadere. — At non licet. — Proscribere atque abdicare. — At hoc quoque remedium frustra adhibitum est. — Civitate pellere. — At non tantum magister potest. — Regnum cœlorum promittere. — At istud ignavioribus fabulæ loco est. — Judicium minari. — At cum id audiunt, risum edunt » (1). Rem igitur magnam, illis etiam temporibus, et multis difficultatibus impeditam aggrediebatur corrector et emendator juventutis.

3. — Si quis hoc præmium consequi velit ex studiis quod omnium est pulcherrimum, solam et unam veritatem persequatur. Plerique enim, dum litteras tractant, libros evolvunt, artibus adolescentes instruunt, majorem habere videntur laudis ac quæstus rationem quam veritatis. « Quandoquidem, ut audio, Palladi, non ut scias, sed ut gloriam ex scientia captes, studiorum laboribus incumbere videris, hoc quoque abs te præstari volo, ut veritatis potius quam gloriæ desiderio tenearis. Quod si nunc ambitionis affectu temulentus, hac oratione offenderis, non tamen dubito quin ubi ad meliorem mentem redieris, gratiam mihi sis habiturus » (2). Nihil enim veritate præs-

(1) III, 259.
(2) III, 79.

tantius (1), nihil etiam tantum habet efficacitatis. « Fugit ratio Græcos, qui non animadvertunt se per ea quæ afferunt, semetipsos evertere. Nam pro nihilo habendam aiunt Scripturam divinam, tanquam scilicet barbaris vocibus compositam et necessariis orationis vinculis destitutam et tumultuariis sermonibus refertam. Sed ab his discant vim veritatis. Qui enim factum est, ut rustica ac simplex scriptura eloquentiæ persuaserit assensum? Dicant sapientes, quomodo liber barbarismis et solœcismis respersus vincere potuerit errorem attica eloquentia instructum ; qui factum sit ut Plato, philosophorum ille coryphæus, ne unum quidem vincere et in suas partes traducere potuerit tyrannum, nostra autem veritas terram et mare sibi adjunxerit » (2).

4. — Verum nescio qua via Bossuetus nobis intervenit, vir mihi et omnibus acceptissimus, sed fortasse in hac nostra disputatione insperatus. Vide-

(1) IV, 30, 76.

(2) IV, 28. Cf. Bossuet : « Son discours, bien loin de couler avec cette douceur agréable, avec cette égalité tempérée que nous admirons dans les orateurs, paraît inégal et sans suite à ceux qui ne l'ont pas assez pénétré ; et les délicats de la terre, qui ont, disent-ils, les oreilles fines, sont offensés de la dureté de son style irrégulier....... il ira, cet ignorant dans l'art de bien dire, avec cette locution rude, avec cette phrase qui sent l'étranger, il ira en cette Grèce polie, la mère des philosophes et des orateurs ; et, malgré la résistance du monde, il y établira plus d'églises que Platon n'y a gagné de disciples par cette éloquence qu'on a crue divine ». *Panégyr. de S. Paul.* Edit. Vivès, T. XII, p. 233.

licet quoniam teneo hominem, non prius dimittam quam ipse pro meo Isidoro suffragari videatur. Bossuetus cum in manibus haberet Morellianum Isidori volumen, ut vero simillimum est, attente atque diligenter evolvit atque contrivit. Istud rei argumentum afferam : elegit enim Isidori epistolam libri IV quadragesimam, quam suæ *in Proverbia praefationi* adjungeret. Neglecta vero aut saltem emendata Rittershusii interpretatione, ipse græcam pagellam latinitate donavit.

Ἐπειδὴ περὶ τῆς τάξεως τῶν τριῶν βιβλίων Σολομῶντος ἠθέλησας μαθεῖν, ἴσθι, ὅτι τὸ μὲν ἠθικὴν παιδεύει ἀρετήν· τὸ δὲ δεικνύει τῶν περὶ βιωτικὰ ἐπτοημένων τὴν ματαιοπονίαν· τὸ δὲ τῆς ταῦτα πεπαιδευμένης ψυχῆς τὸν περὶ τὰ θεῖα ἔρωτα.

Quoniam ordinem trium Salomonis librorum discere cupis, scito unum illorum docere virtutem moralem; alterum ostendere quam sit vanus labor eorum qui rebus hujus vitæ nimis attendunt; tertium denique, amorem quo erga res divinas prædita sit illa anima, quæ superiora jam didicit (1).

Quæ sequuntur, magis accedunt ad Rittershusium, nisi quod sensit Bossuetus stare non posse εἰς σαρκικὸν καὶ ἠθικὸν ἔρωτα ὀλισθήσειεν. Qui enim *carnalis*

(1) IV, 40. Bossuet, *Œuvr. Compl.*, T. I, p. 455. Rittershusius minus aperte ac pluribus verbis : « Quoniam significasti te cupere cognoscere, quo ordine tres libri Salomonis legendi sunt, nosse debes, unum illorum docere virtutem moralem ; alterum ostendere quam sit vanus atque irritus labor eorum qui rebus hujus vitæ quasi attoniti inhiant ; tertium denique amorem quo erga res divinas prædita sit illa anima quæ superiora jam didicit ».

est amor, quomodo *moralis* idem diceretur ? ideo vertit : *in carnalem et vulgarem amorem incidat.* Hunc fere sensum comprobavit codex Vaticanus, in quo, Possino teste, scribitur : εἰς σαρκικὸν καὶ ὑλικόν. Eamdem diligentiam adhibuit Meldensis episcopus, Sorbonicum doctorem, Coulau nomine, redarguens, quod *Persas unicum semper Deum agnovisse* atque *idolis et simulacris nunquam non fuisse infensissimos* temere affirmavisset. Imprudens ille Isidorum testem protulerat, ita fere loquentem : « Cum Persæ jam in virorum classem ascribendi erant, jusjurandum dabant, oppido quidem pauca verba, sed vim ac potestatem maximam complexum, omnemque Græcorum philosophiam superans. Jurabat enim quisque in hæc verba : Ego contemnam quidem omne malum lucrum ; contemnam voluptatem corporis ; contemnam inanem gloriam, æmulabor autem virtutem ; *colendo Deo incumbam*, colendis parentibus, vera dicens et bona agens ; neque horum quidquam violabo sciens et volens » (1). Sic D. Coulau præclarum jusjurandum latinæ consuetudini tradiderat. Bossuetus vero, quo nemo post hominum memoriam vigilantior fuit in rebus quæ ad relligionem spectabant, confestim in græcam scripturam aciem intendere ac totidem verbis legere : τιμήσω τὸ θεῖον, quod certe, ut ipse ait, non magis unius Dei cultum quam multorum significat (2).

(1) IV, 198.

(2) Cf. Bossueti *epist.* ad D. Brisacier, 8 sept. 1701 : « L'auteur allègue à ce propos Isidore de Damiette, où est rapporté le serment que faisaient les Perses, qu'il traduit

5. — Rerum bene laudabiliterque gestarum historiis delectari bonæ indolis est indicium (1), neque ullum scriptionis genus apud Isidorum frequentius laudatur. Sæpenumero hominum mores, ingenia, dicta, variaque vitæ humanæ exempla atque præcepta ex antiquis auctoribus deprompta ob oculos ponit. Verum auctorum nomina plerumque omittit, ut multæ sit operæ ac laboris ejus narrationum fontes investigare. Thucydidis semel et iterum gravitas probatur (2). Sed Josephus imprimis, Judaicæ historiæ auctor, pleno ore laudatur: « Josephus, inquit ὁ ἱστορικώτατος (3), eruditionis et eloquentiæ nomine clarissimus, quum esset acerrimus judaicæ legis propugnator, majorem tamen habuit veritatis quam popularis auræ rationem » (4). Exinde et illud Isidori non tacendum ; maximam scilicet historiæ virtutem esse αἰτιολογίαν, qua rerum causas animis et cogitatione comprehendimus (5).

ainsi : *Colendo Deo incumbam*, où le grec porte τὸ θεῖον ; ce qui signifie indéfiniment tout ce qui est réputé divin et ne conclut rien du tout pour le vrai Dieu ». *Œuvr. compl.*, T. XXVII, p. 234.

(1) IV, 78.

(2) IV, 91 ; V, 97.

(3) III, 19.

(4) V, 225 ; IV, 75. Cf. Bossuet : « Nous avons Josèphe, auteur juif, historien très fidèle et très instruit des affaires de sa nation, dont aussi il a illustré les antiquités par un ouvrage admirable ». *Disc. sur l'Hist. univ.*, P. II, cap. XXI.

(5) V, 554. Cf. Bossuet : « La vraie science de l'histoire est de remarquer dans chaque temps ces secrètes dispositions qui ont préparé les grands changements et les conjonctures importantes qui les ont fait arriver ». *Ibid.*, P. III, cap. II.

6. — Nunc ad disciplinam dicendi atque scribendi perductus, cum animo statui omnes scholas Pelusiacas invisere. Multi enim ibi fuere litterarum ludi, multa artium domicilia, quæ haud minus præclara et sancta fuisse velis quam frequentia et conferta. Vias quidem et plateas neque usu neque ratione cognitas habueris ; magistrorum vero non tantum nomina, sed ingenia et mores aliqua ex parte nosse tibi fuerit apud Isidorum. Excipe igitur eruditorum hominum turbam. — *Agathodaemon* grammaticus discipulos habuit, ut videtur, satis contumaces. Quos jugi impatientes et contra frena frementes, et spumis circumfluentes fortiter coercere et castigare debuit (1). Præterea haud secus ac nostris temporibus, alii auditorum erant alta mente præditi, alii stolidi et stipites (2). Præclarum et istud consilium afferam : Docendo necessaria est aliqua oblectatio animi et varietas orationis. Quando enim αἱ μονοειδεῖς declamationes omnibus nervos tanquam præcidunt, omnis autem schematum variatio imprimis delectat, scripta decet ἐκ σπουδῆς καὶ ψυχαγωγίας κεκρᾶσθαι ; siquidem nihil studiosi ἐκ τῆς ψυχαγωγίας offendentur, negligentes vero ex utriusque temperamento plurimum utilitatis haurient (3).

7. — *Asclepius* Sophista orationem habuit in qua virum quemdam, bellica laude conspicuum,

(1) V, 55.
(2) V, 334.
(3) V, 439. Cf. I, 270, 435; V, 454.

maximis laudibus extollebat (1), atque eam Ciceronis sententiam tuebatur quam pro Murena adversus Sulpicium Romanus Orator protulerat, nempe rei militari virtutem cæteris omnibus præstare (2). Isidorus contra jubet ut aliquid *cedant arma togae*, scriptoris eloquentiam miratur, assentatoris autem consilium reprehendit. Sophista forsan id se perfecturum speraverat ut Isidori animum εἰς θωπείαν inflecteret; nisi vero ejusmodi spem abjecerit, Isidorus ex amicorum choro illum secernet (3). — Videtur etiam Asclepius aliquo fere modo omnibus Pelusiacis gymnasiis præfuisse (4).

8. — *Harpocras* sophista in intima Isidori familiaritate versabatur litterasque alter alteri crebras et omni officio refertas mittebat. « Quoties, Isidorus ait, tuas accipio litteras disertas illas, et multa disco et magna lætitia afficior. Est enim in eis et affectus et verborum vis. Si autem scribere ad me aliquando cessabis, discrucior quidem nimium et lingua torpet. Noli itaque amicitiæ fœdus violare sed frequenter scribe. Sic mihi longe fies carior » (5). Iterum dum e morbo quodam Isidorus primum convalescebat, Harpocræ litteris recreabatur : « Pulchre fecisti, inquit, qui, tametsi nos morbi reliquiæ adhuc infestent, citharam tamen situ jam obsitam tractare carmenque canere coege-

(1) V, 334.
(2) V, 465.
(3) III, 23.
(4) V, 458. Cf. IV, 28, 31 ; V, 76, 546, 547, 548.
(5) V, 125.

ris ». Scilicet non citharam, sed bellicum canit adversus eos qui fati vim inexsuperabilem ponunt. Ii Deum omnibus probris onerant, sagittasque in cœlum emittunt, terræque ornamenta, philosophiam, medicinam omnesque scientias et artes, atque virtutum præmia et vitiorum pœnas omnino profligant. Ecquis, dextera Dei Optimi Maximi qui omnia temperat despecta et contempta, cæco illi et vago et nequissimo fortunæ spectro seipsum credere audebit? Neque alicujus boni hominis inopiam aut improbi prosperitatem in criminis loco Providentiæ objiciant. Sed optimus quisque testificetur. Ecquid est quod Socrates, cicutæ poculo mulctatus, injuria se affici haudquaquam existimabat? Plato venumdatus libertate se dejectum esse minime ducebat? Diogenes in pannis vivens Persarum rege ditior sibi esse videbatur? Phocion denique quum una cum amicis ad mortem duceretur, et quidam in lacrymis prorupisset, viamque lamentis implevisset, his ad eum verbis utebatur : *quid ? annon bene tecum agi putas qui cum Phocione sis moriturus ?* Præterea Deus ipse judex die novissimo, res hominum turbatas sapientissima sapientia componet, nam κρίσις ἀδέκαστος ἔσται, ἣν καὶ λογογράφοι καὶ ποιηταὶ καὶ ῥήτορες καὶ συγγραφεῖς ἀνυμνοῦσιν. (1) Ea est, ad compendium collata, Isidori oratio, aut, ut ipse loquitur, oratiuncula περὶ τοῦ μὴ εἶναι εἱμαρμένην, quæ a quibusdam præstantior habita est omnibus libris qui de hoc argumento elaborati fuerant. Hanc Herminus comes ad se mitti postu-

(1) III, 154.

labat. « Λογίδιον quod petiisti, inquit Isidorus, ad te mitto. Tu vero ne famæ judicium in sententia ferenda sequere : verum omnia accurate perpende atque explora, ac si ea commode a me scripta sint, Deo gratiam habe : sin autem in his quidpiam desiderari videatur, humanæ imbecillitati, quæ minime, ut cupit, loqui potest, ignosce » (1).

9. — In alia quadam ad Harpocram epistola, Isidorus cum Tullio mire consentit et concinit verbis, sed multo gravius totam actionem concludit : « Πολύτροποι τῶν ἀνθρώπων καὶ οἱ περὶ τοὺς λόγους ἐπιθυμίαι. Alii enim τὸ παλαιῶς ἀττικίζειν laudant, alii τὸ σαφῶς εἰπεῖν atticismo potius habent, alii Platonis sublimitate, alii Thucydidis gravitate, alii Isocratis tenuitate, alii Demosthenis vehementia delectantur. Rursum alii quidem Lysiæ genus dicendi apertum et protritum amplectuntur, alii contra Isæi orationem quæ Isocratis quidem dictione convenientior est judiciis, sublimior autem quam Lysiæ ; alii denique Æschinis perspicuum et candidum dicendi genus probant. Cum igitur adeo dissimiles sint hominum opiniones, nullo modo dici potest πῶς τις συγγραφέων πᾶσιν ἀρέσειεν. Itaque illi, ut qui ad gloriam respiciant, scribant ut ipsis libet. Divina autem oracula, quoniam ad universi generis humani utilitatem pronuntiata sunt et scripta, divina quadam perspicuitate excellunt. Quid vel Platonici dialogi, vel Homericæ tubulæ, vel legislatorum codices, vel Demosthenis orationes, vel tragœdiæ περιπέτεια, vel comœdiæ argumentum, si ad divini sermonis vir-

(1) III, 154. Cf. III, 253.

tutem et brevitatem conferantur? Quot libros Plato, Aristoteles, Stoici, scripsere de justitia ! Sed unum illud Christi axioma multo majorem fructum attulit : *Omnia quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis* » (1).

10. — Scripserat Isidorus orationem πρὸς Ἕλληνας, quam longiorem et graviorem quamdam epistolam fuisse mihi persuasi. In hac commentatione contenderat veterum Græcorum divinationem et oracula nugis et ineptiis constitisse. Harpocras suum Homerum affert qui pro vatibus testimonium dicat. Isidorus Homerum non recusat : ab hoste enim testimonium, ut ait, vim magnam habet. Memorat Helenum vatem non ita commode Alexandro fratri consuluisse. Cæterum poesis ὕλην ἔχει τὸ ψεῦδος (2).

11. — Sed quid tandem, istas inter philosophicas disputationes, inter Zosimi et Maronis odia (3), quid tantisper Harpocræ discipuli ? Magnus noster vituperator in hos quoque adolescentes se severum et vehementem præbet : « Refractoriis auditoribus, o Sophista, velut equis indomitis frenum timoris injice et capistro constringe, ubi quid insolens et præter habenas egerint, ut frenis rite parentes, plus ad virtutem proficiant. Nam eadem tribuere iis qui non eadem agunt, absurdissimum est virtutisque impedimentum. Formatorem igitur te potius

(1) IV, 91.
(2) II, 228.
(3) Cf. de Harpocræ *monodia*, p. 98.

morum quam sermonum esse ratus, δείκνυε αὐτοῖς ἀρχέτυπόν τινα χαρακτῆρα, τὸν σαυτοῦ βίον. Non enim tantum oratio, quantum vita, ad virtutem ducit » (1). — Quam multa, quam magna pericula puerorum undique premunt innocentiam ! Sæpe in litteris Harpocras significaverat quantum sibi arduum videretur pueros jam pravis moribus ob malam educationem assuetos, ad virtutem adducere. Nunc Isidorus in eodem argumento versatur : « Temperantiam enim juvenibus eripit cum libidinosis familiaritas ; prudentiam vero fuga laboris in eis legendis quæ decent ; fortitudinem autem aufert mollities histrionum ; justitiam denique adimunt mimorum perjuria ». A scena præsertim atque a ludis circensibus Harpocras suos discipulos omni ratione et pacto arceat ! Hujusmodi spectacula a legibus concessa fuisse putat Isidorus ut animos vacuos et imbecillos aliquo nutrimento pascerent et a civilibus bellis detinerent. Juvenes vero ad virtutem institutos καὶ τὴν καλλίστην ἁρμονίαν ἁρμοττομένους istis spectaculis interesse non oportebat. Hæc auditoribus suis Harpocras referat : « Quoniam vero, Isidorus addit, utilem fore arbitratus es meam ipsius admonitionem, ad illos etiam, ne te contristare videar, litteras dedi » (2). Tum se vertit ad Harpocræ discipulos atque longinquum exordium ducens a virtutis præconio, redit ad spectaculorum pericula (3). « Adolescentes, omnium

(1) V, 348.
(2) V, 185.
(3) V, 186.

quæ sunt aut quæ videntur bonorum maximum atque pulcherrimum virtus est, eodemque modo se habent qui cum virtute vitam instituunt, ad illos qui ea destituuntur, ut ratione præditi homines ad feras noxias, aut angeli cum hominibus collati. Virtus omnes in admirationem rapit. Virtus nunquam senescit, at semper viget immortalis atque ab oblivione hominum vindicatur. Virtutem autem hic voco, ne vocis vos fallere ambiguitate videar, non bellicam illam seu fortitudinem, qua improbi sæpe homines fruuntur ; neque accipio eam quæ in Olympicis exercetur ludis victricem virtutem, quæ casu sæpe obtingit ; ac ne eam quidem intelligo vim quæ in eloquendo est posita. Recte enim ait Thucydides ὅτι ἀμαθία μετὰ σωφροσύνης ὠφελιμώτερον ἢ δεξιότης μετὰ ἀκολασίας » (1). Hanc ad Græcorum liberos epistolam manifesto fictionem sui scholasticam prodere voluit Heumannus, quam firmis ac certis argumentis tueri statueram, nisi rem ipsam per se loqui intellexissem.

12. — In Harpocram vero nusquam tam præclaras laudes Isidorus contulit, quam in litteris ad Asclepium datis. « Harpocras, inquit, τρόπων μᾶλλον ἢ λόγων παιδευτὴς erga sacram relligionem eximie erat affectus, cui sophistæ quidem nomen dabatur, vita autem vere et sincere philosophica erat. Hic juvenum multitudinem non ambiebat aut venabatur, sed eos potius quæritabat auditores, et in cœtum cooptabat quos virtutis signa præbere animadverteret,

(1) Thucyd. III, 37.

quos non ut mercedem inde caperet, ideo adamabat, verum quos studiosos noverat fore, eorum curam suscipiebat » (1). Quid vero ! hæc prius fuere ? anne laudatio eà est habita, Harpocra morte defuncto, tanquam ad funebrem concionem ? ita fuisse ostendit doctissimus vir J. F. Boissonade, Schottumque increpat quod verba Isidori τόν βίον κατέστρεψε latine verterit : *vitam moresque potissimum format*. Ipse vero interpretatur : *e vita excessit* (2). Haud secus equidem sentio, atque rem totam ita complector : Harpocram supremum diem explevisse, Isidorum in suum amicum laudes contulisse atque Asclepio sophistæ mandasse litteris ut dignum aliquem magistrum quæreret, qui a Pelusiaca civitate in tanti viri locum sufficeretur (3).

13. — *Ophelius* grammaticus, vir in bonarum artium studio præcellens, egregiusque poeta, si qua Isidoro fides (4), Homero præsertim atque Isocrate delectabatur. Fertur enim aliquando ὁμηρίζεσθαι (5), aliquando Isocratem mirari ἄνω καὶ κάτω (6). Ophelium Isidorus ad omne sui officii munus instruit : docet quid rei sit ea quam *laconicam* dicunt bre-

(1) V, 458.

(2) *Aristaeneti epistolae*, 1822, p. 316.

(3) Cf. epistolas ad Harpocram II, 228 ; III, 37, 154, 345, 393 ; IV, 55, 91, 140 ; V, 48, 52, 80 102, 125, 162, 185, 186, 198, 199, 217, 223, 348, 349, 380, 415, 423, 424.

(4) I, 86.

(5) III, 31.

(6) IV, 162.

vitatem (1), quæ virtus historiæ (2), quæ ratio scribendi epistolas (3), quæ vera et antiqua philosophia (4); quibus exhortationibus et exemplis puerorum mores informentur (5); quomodo a scenicis ludis arcenda sit ac prohibenda ætas juvenilis (6). Nunquam enim ab ista spectaculorum insectatione Isidorus respiravit. In ea re non solus Pelusiota noster, sed celeberrimus quisque veteris Ecclesiæ scriptor, ac sacræ relligionis interpres, omni opere et ope enixus est, ut omnes Christianos ac præcipue adolescentes a theatris revocarent, tanquam ab impudicitiæ atque improbitatis officinis. In ea re imprimis, præter cæteros, Chysostomus non modo contentione sed dimicatione elaboravit, cujus vestigia Isidorus tam diligenter persequitur (7). In ea re traditam ab antiquis patribus disciplinam, etsi gravis interdum et rigida aliquibus videbatur, omnis Christiana ætas asseveravit, neque aliter Bossuetus nostris fere temporibus decrevit, atque olim Chrysostomus Isidorusque constituerant. Quoniam vero Chysostomi iterum mentio intermissa est, aliquis fortasse a me exspectat et postulat ut perspicue de epistola 42 libri II pronuntiem quid sentiam. Scilicet illic Isidorus Liba-

(1) V, 121.
(2) V, 544.
(3) V, 133.
(4) V, 558. Cf. V, 430.
(5) V, 317.
(6) V, 517.
(7) Cf. Const. Sathas, Κρητικὸν θέατρον. — εἰσαγ. σελ. λε΄, atque iterum fusius, σελ. πζ΄.

nium affert Joannis Chrysostomi præconem, atque Antiocheni rhetoris ad Joannem epistolam suæ ad Ophelium epistolæ adscribit. Porro jam pridem res in disceptationem venit utrum Libanii vere sint istæ litteræ. Valesius primum dubitationem injecit, propter difficultatem quamdam quæ ad temporum rationem spectat. Quæ quum ita sint, égo exploratum non habeo utri parti assentiar. Valesii enim quum residet in animo scrupulus; tum si falsam et adulterinam fuisse velim Libanii epistolam, ipsius Isidori fidem, antiquissimi testis, labefactem. Sit igitur, quæso, mihi venia ad doctiorem me judicem totam controversiam deferendi.

14. — Ad *Proeschium* scholasticum et medicum Isidorus epistolam exaravit grandiorem, qua immortalem mortali in corpore animum habitare defendit et contra Galenum argumentis tuetur. « Pythagoras quidem et Plato, aliique apud Græcos sapientiæ opinione clari, animam corpore præstantiorem dignioremque imperio, jure ac merito pronuntiarunt et illam quidem τεχνίτην, hoc vero ὄργανον appellarunt ; illam quidem ἀσώματον, istud autem τριχῇ διαστατόν ; illam tandem immortalem et corruptionis expertem. Galenus autem mortalem pronuntiavit (1). Non enim eos qui intelligenter ipsum legunt, fugit, quod concinnam quamdam *citharam*, non *citharistam* (λύραν, οὐ λυρῳδὸν) illam esse duxerit». Tota quidem epistola perlegenda

(1) Non plane quidem pronuntiavit, sed sublustri quodam genere dicendi inculcare visus est. Cf. Ch. Daremberg, *Dict. des sciences philosophiques.*

est, subtilis enim disputator rem liquido confirmat claris et exquisitis rationibus. Medicinam obiter perstringit τὴν τέχνην στοχαστικὴν οὖσαν, Ulyssemque inducit immortalitatis spe erectum atque exclamantem : τέτλαθι κραδίη · ψυχή τε μένει. Hoc, me judice, eloquenter et ornate dictum (1).

15. — Illud insupèr adde quod si Pelusiotam quemque litteris instructum nomine appellare vellem, frequentes et conferti homines præsto essent. Nulla enim ætas mediocribus ingeniis magis circumfluit. Criticorum, grammaticorum, philologorum, oratorum, poetarum infinita multitudo in foro volitat. Infer te in circulos, socia sermonem : lepidi sunt homines, linguam gerunt impense liberam et expeditam, laudant Homerum, omnia norunt antiquitatis monumenta, de omni re disputant in contrarias partes ; alienam vitam carpunt, vellicant, rodunt ; aliorum dignitati labem aut labeculam aspergunt ; serunt discordias : hæc omnia facete, jucunde, cum magna subtilitate et elegantia. Procul ab illo profluentis loquacitatis fluctu Isidorum videre videor in monte sua degentem, solitarium, tacitum, et omnia scriptis potius quam verbis componentem. Præclarum quidem carmen Lucretii :

Suave, mari magno, turbantibus æquora ventis,

et ea quæ sequuntur, quis enim versus non novit tam usitatos ? Nihil vero dulcius, ego dicam, quam

(1) IV, 125.

*bene munitas* tenere Christianæ sapientiæ *arces* èt religiosæ disciplinæ *templa serena*,

> Respicere unde queas alios, passimque vocare
> Palantes, veræque viam monstrare salutis.

Respexit sæpe Isidorus, sæpe errabundos ad se arcessivit, sæpe ad curam sempiternæ salutis revocatos in gremio veluti suo et sinu gestavit ac fovit. Homo quidam, unum enim novi è multis, homo celebratæ eloquentiæ, cum celeriter domum profecturus et quasi pertransiens Isidorum visitasset, monasticæ philosophiæ amore captus, in solitudine sė continuit, ac repente vir quondam disertus obmutuit, ut mentem potissimum excoleret (1).

# CAPUT VIII

## DE REBUS ECCLESIÆ

ARGUMENTUM. — 1. *De Isidori epistolis ad episcopos.* — 2. *Cyrillus Alexandrinus.* — 3. *Synesius et Evoptius Ptolemaïdis.* — 4. *Eusebius Pelusius.* — 5. *Hermogenes Rhinocoruræ, Serapio et Abramius Ostracinæ, Lampetius Casii.* — 6. *Alypius Selæ, Hero Tennesi, Theo et Isidorus Sethrœti, Apollonius Taniticus, Heraclius Tamiathicus.* — 7. *Episcopi incertæ sedis.* — 8. *Alii rerum divinarum ministri.*

I. — Quod de rebus Ecclesiæ, de viris et negotiis quæ ad sacram religionem spectant, brevis esse laboro, id ad hujus academicæ disputationis ratio-

(1) V, 258.

nem magis accommodatum arbitror. Namque si ad ædes sacras, ad episcoporum et sacerdotum domos, ad monasticæ vitæ sedes me converterem, eadem copia atque ubertate dicendi etiamnunc usurus quam a libelli hujus initio usurpavi, fuse lateque disputarem de Cyrillo, de Nestorio, de Synesio, de Christianis disciplinis, de vera ac sana doctrina : primum theologus fierem, invitis meis judicibus ; deinde libellus in magnum volumen cresceret. Omnia ideo celeriter attingam quæ ad res historicas referuntur. Ad triginta et unum episcopos Isidorus epistolas exaravit, sed cujusnam urbis sedem ii occuparent, vix semel aperit. Habemus tamen tum ex actis et subscriptionibus conciliorum, tum ex aliis quibusdam monumentis, nonnulla testimonia quæ in hos codicillos retuli.

2. — Octo Isidori epistolæ *ad Cyrillum* Alexandrinum scriptæ sunt et missæ, aliæ de rebus Nestorianis (1), aliæ de Pelusiensis Ecclesiæ infortuniis (2). Isidorus ubique acer et verecundus ; Cyrillus vero, quanquam amice rescribit (3), vix a propositis suis aliquantulum declinare videtur, sed eam, quam scimus, singularem atque invictam animi constantiam omnino retinet.

3. — Tres sunt epistolæ *ad Synesium* quemdam (4) una *ad Synesium episcopum* (5),quas omnes utrumne

(1) I, 310, 323, 324, 370; III, 306.
(2) II, 127 ; V, 79, 268.
(3) I, 370.
(4) I, 241, 418, 483.
(5) I, 232.

antehac ad Cyrenensem philosophum ac poetam scriptas fuisse quis cogitaverit, exploratum non habeo. Ego quidem haud temere ita esse opinor. Synesium enim episcopum exhortatur Isidorus ut fortiter ac strenue dimicet contra Arianos et Eunomianos. Porro iisdem temporibus Synesius Cyrenensis, tanquam ab Isidoro incensus, scribebat suorum sacerdotum collegio (1). Utrinque par est impetus dicendi, eædem fere sententiæ, eadem cum Eunomianis simultas. Una etiam inscribitur Isidori schedula (2) brevis et elegans *ad Synadium* quemdam περὶ ἀναστάσεως, quæ mirifice Synesium revinceret platonice magis quam Christiane de hac re statuentem. *Evoptius* quoque, post Synesium fratrem Ptolemaidis episcopus, ab Isidoro de rebus theologicis sciscitabatur (3).

4. — Nunc si ad Pelusiensem Ecclesiam oculos referimus, postquam Ammonius episcopus Pelusii et *vere episcopus* (4) inter vivos esse desiit, acerbissimo vulnere Ecclesia percussa est. *Eusebius* enim, nescio qua ratione, summo sacerdotio est auctus, homo deterrimus et portentum episcopi (5). « O infelix Pelusium, quod Cyrenium prætorem, Euse-

(1) Synesii *epist.* 5; *Patr. Gr.*, T. LXVI, p. 1343. Cf. etiam Isidori epist. I, 418.

(2) I, 284.

(3) II, 215.

(4) II, 127. Cf. III, 148.

(5) I, 26, 28, 30, 37, 112, 113, 119, 151, 177, 185, 215, 250, 341, 425, 492. Cf. II, 50, 122, 199; III, 177, 178, 367; IV, 45. Epistolam vero IV, 73 puto ad alium Eusebium presbyterum, non episcopum, fuisse scriptam.

bium episcopum habeat (1)! Eusebius lepide in sacris cœtibus eloquitur, sed alia docet, alia facit; a multis accusatur περὶ δωροληψίας: sacerdotium Zosimo et Maroni nundinatus est, ut templum Pelusii ædificaret. Ita sacerdotium dedecore oppressit et sacras ædes ex rapina exstructas sua ipsius turpitudine notavit. Castissimum pietatis nomen, mutato suo nomine, sibi imposuit, revera impius est et sacrilegus ». Fere ad hunc modum omnes viri boni querebantur. Quousque vero furor ille Eusebii sacris infulis ignominiam inussit? Rem in medio ponere est arduum. Sine ulla controversia Eusebius Ephesino concilio intererat; Isidoro jam mortuo, belle habebat; citius dixerim, anno CDLVII idem Eusebius ætate provectus Eutychianique erroris fautor et amplificator, Timotheum Ælurum in Alexandrinum antistitem inaugurabat (2). Verum ex alio loco novimus Ammonium post Quercetanum latrocinium et exilium Chrysostomi fuisse incolumem (3). Eusebius igitur quantum conjectura assequor, ad episcopi ordinem evectus est paulo post annum CDV. Ita annos circiter LV habuit ad administrandam, imo ad diripiendam Ecclesiam (4).

(1) I, 177. Igitur epistola ad Rufinum I, 278 de Cyrenii tyrannide nihil omnino profecit. Remansit Cyrenius Pelusii decem circiter annos, aut certe Pelusium rediit iterum præses, Eusebio sedem episcopi jam obtinente.

(2) Evagr., *Hist. Eccl.* II, 8. *Patr. Gr.* T. LXXXVI, p. 2521.

(3) Cf. p. 57.

(4) Legendus est Tillemontius, *Mem.* T. XV, p. 106 et iterum, p. 847.

5. — Plerisque Augustamnicæ provinciæ urbibus magis secundæ res erant quam Pelusio. Rhinocorura (1) episcopum habuit *Hermogenem*, sæpe et egregie ab Isidoro laudatum (2). Magnus ille vir clarum nomen est adeptus in legatione quam Romæ gessit apud summum Ecclesiæ pastorem. Etenim post Ephesinam synodum a Cyrillo Romam missus est; ad Italicum vero littus appulit post obitum Cœlestini, et Xysto adstitit ad pontificii imperii principatum evocato (3). — Ostracinæ erat episcopus *Serapio* qui Chrysostomum adversus Theophilum defenderat (4), ob eamque causam, ut puto, ab Isidoro imprimis diligebatur. Eusebius Serapionem bene de se meritum injuriose lacessiverat. Serapio, adhuc totus in fermento, nullum animo spatium dat et Isidoro scribit se iracundiam ἐκ μέσης καρδίας exardentem anhelare. Isidorus vero amici hominis animum permulcet, talem excandescentiam a sana ratione alienam esse leviter significat, a Christi vero exemplis abhorrere declarat apertius et conficit (5). *Abramium* post Serapionem Ostracinæ episcopum renuntiatum fuisse ego censeo, qui ditioni suæ subjectos habebat homines in virtute languidos, atque ad Isidorum scribebat

(1) Seu Rhinocolura; vide Strab. *Geogr.* Ed. Didot, p. 631, 646, 664.

(2) I, 419; II, 21, 50, 101, 139, 152, 178, 199, 200, 208-210, 218, 262, 276-277; III, 20-21, 29, 99, 103, 130, 259, 362, 367; V, 2, 30.

(3) Lèquien, *Or. Christ.* T. II, p. 543.

(4) Cf. Palladium apud Lequien, *ibid.*, p. 546.

(5) III, 44.

epistolas querelarum plenas (1). — *Lampetius* Casii episcopus Hermogeni comes adfuit in legatione Romana (2). Lampetium Isidorus nuncupabat μισοπονηρίας περίβλεπτον θρέμμα (3), et creberrimis epistolis salutabat (4).

6. — Selæ episcopatum tenuit *Alypius*, et Ephesino concilio subscripsit ; in eo vereor ne qua avaritiæ suspicio resideat (5). — *Heronem* Tennesi qui postea in Chalcedonica Synodo ad causam Dioscori se inclinavit, Isidorus hortatur ut virtutem potius exerceat quam prædicet (6). — *Theo* Sethrœti episcopus inter Ephesinos patres sellam habuit, qui haud semel monetur ab Isidoro ut ab Eusebii vitiis caveat, ne

ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων

videatur (7). Theoni vita defuncto subrogatus est *Isidorus* quidam, quem sibi cognominem Noster sæpe impulit, ut ne de fama sua bona et præclara aliquid detrahi aut φυλλοροεῖν sineret (8). Scilicet

(1) I, 308, 396. V, 38.

(2) Lequien, *l. c.*

(3) II, 221.

(4) II, 71, 79, 122, 192, 206, 221, 222, 264 ; III, 46-48, 53, 131-132, 182, 193, 200, 214, 240–241, 346, 367, 409 ; V, 165, 171, 192, 482

(5) II, 223 ; III, 234 ; V, 347.

(6) V, 527.

(7) V, 196. Cf. II, 84, 121, 184, 260 ; III, 299 ; V, 92, 160-161, 227.

(8) V, 557. Cf. I, 89-90 ; II, 224-226, 263 ; IV, 1, 7, 10, 17, 120, 169, 220 ; V, 156, 172, 179, 288–289, 308, 318, 335, 459, 474.

post tanti consiliarii mortem, Isidorus episcopus cum Eutychianis stetit ac sensit (1). — Eutychianus etiam fuit *Apollonius* episcopus Taniticus, qui temporibus Isidorianis doctrinæ integritate floruisse videtur. In Apollonii desiderio Isidorus se totum esse scribit; amicum tamen virum assentatiunculis plus æquo aures patefacientem, Isidorus ad litteras exarandas jam segnior, aliquantum negligit; mox vero hortatur ut virtuti studeat sine ostentatione; magnam rem esse virtutem docet, sed splendidiorem et venustiorem videri quando laudem sibi ipsi non impertitur (2). — Lequien, nescio qua imprudentia lapsus, Tamiathicum oppidum in Arcadia seu Heptanomo esse situm sibi persuasit (3); at procul dubio urbs maritima fuit, in nostris annalibus nobilissima, prope Phatmeticum ostium Nili. Tamiathis episcopum habuit *Heraclium*, et illum quoque ex amicis Isidori. Certe hujus temporis episcopi aliquid civilis ac prætoriæ potestatis habuere: scribit enim Isidorus ad Heraclium : « Amicus quidem meus ad te se contulit, ut obsidem se pro patre præbeat eumque carcere liberet. Quamobrem ei fave, ut qui, non pecuniarum, sed pietatis atque gloriæ causa, ad hoc certamen se accinxerit » (4).

(1) Lequien, *l. c.*, p. 534.

(2) II, 31, 96, 198, 260, 270; III, 58, 137-138, 265, 273, 363; IV, 189.

(3) *L. c.*, p. 590.

(4) III, 262. Cf. II, 32; III, 72.

7. — Missos facio incertæ sedis episcopos : *Aphtonium* (1), *Arabianum* (2), *Asclepium* (3), *Heraclidem* (4), *Leontium* (5), *Martyrium* (6), *Mosem* (7), *Palladium* (8), *Alphium* (9), *Gregorium* (10), quem Tillemontius incertissimo indicio Nyssenum fuisse existimavit (11) ; *Theopemptum* (12) et *Macarium* (13) quos Henschenius (14) Cabasorum fecit episcopos cum similitudine quadam veri, alterum Ephesi, alterum Chalcedone fidem professum ; *Marinum* (15) quem Heliopolitanum esse arbitror : *Strategium* (16) quem Lequien asseveravit fuisse Ephesinum patrem et episcopum Athribidis in Augustamnica secunda (17) ;

(1) III, 28.

(2) I, 82 ; II, 39 ; III, 206 ; V. 309.

(3) II, 88 ; III, 207, 319-321.

(4) I, 19, 182-183 ; II, 74, 220, 241-242 ; III, 10.

(5) Anne Cyrenensem ? — I, 83-84, 129, 262, 307, 315, 410, 451-452 ; II, 98 ; III, 87-88, 387 ; IV, 110, 113 ; V, 2, 21, 37, 171, 180, 414, 435.

(6) I, 45.

(7) I, 44.

(8) I, 321 ; II, 284 ; III, 140.

(9) III, 150, 151 ; IV, 230 ; cf. ad *Elaphium* V, 201 ; eumdem fortasse atque *Adelphium* Saïs aut Onuphis.

(10) I, 125.

(11) *Mem.* T. XV, p. 110. Tillemontii sententiæ favet latina Billii interpretatio, Græca vero scriptura minus perspicua.

(12) III, 284, 285.

(13) I, 202 ; II, 55 ; V, 442.

(14) *Acta sanctorum.* Febr. T. I, p. 477.

(15) IV, 174 inscribitur *ad Maronem episcopum*, sed depravata lectio est. Cf. notam Possini.

(16) I, 11.

(17) Lequien, *l. c.*, p. 555.

*Theodosium* (1) quem per me liceret facere antistitem Nicii in Ægypto, nisi creberrimas ad eum viderem inscriptas epistolas et Nicium magna locorum longinquitate a Pelusio disjunctum (2).

8. — Satietate legentes enecarem, si multos adducerem presbyteros, diaconos, lectores ; alios frugi homines, vere religiosos, sanctos et castos ; alios vero perditis ac profligatis moribus, tanto vita nequiores quanto sacra sua conditione spectatiores ; alios satis litteratos et de rebus philosophicis aut theologicis curiosius sciscitantes ; alios minutis et frivolis interrogatiunculis Isidorum stimulantes et pungentes. — Quid hominis et cujusmodi Zosimus iste cum sua nebulonum turba? Proh pudor sacerdotii ! omnem a se verecundiam removerant, simulatione etiam honestatis relicta. In suo omnium flagitiorum diversorio, frequentissime Isidori epistolas receperunt, breves ac grandes, plenas objurgationis, molestas et contumeliosas, nisi ora dudum perfricuissent. (3) — Sed multi etiam fuere integri et

(1) I, 45; II, 52, 231, 246, 247; III, 17, 74-75, 127, 142, 201, 330, 345, 397; V, 23, 30.

(2) Strab. *Geogr.*, p. 679.

(3) Hos nefarios sacerdotii violatores non solus Isidorus epistolis exagitavit : hos insectabatur Hermogenes Rhinocoruræ et alii episcopi, hos in sua *Monodia* castigabat Harpocras, (cf. p. 98) ; hos quisque optime natus et vere Christianus animo aspernabatur. — Data occasione, unam commemorabo e sexcentis istis epistolis quas Isidorus de antiquo sacerdotii splendore elucubravit, nempe epistolam ad Petrum V, 278, quam ipse protulit Massillon, alterum illud Gallicæ eloquentiæ decus : « Le monde est impitoyable pour un mé-

summa pietate viri. Sapientem lectorem Timotheum, incontaminatum Aphrodisium, dulcem ac suavem Eutonium, alterum Isidorum sacerdotem Nostri amantissimum et tam præclara amicitia dignissimum, honoris causa nominabo, quamvis eorum dignitatem ornatius illustrare nolim.

# CAPUT IX

## QUIS TANDEM HOMO FUERIT ISIDORUS

ARGUMENTUM. — 1. *Isidorus humilis et pauperculus.* — 2. *Isidorus monasticæ philosophiæ amator.* — 3. *Isidorus strenuus Christi miles.* — 4. *Isidorus omnis calamitatis portus et perfugium.* — 5. *Isidorus Harpocram et Harpocræ discipulos invisens.* — 6. *Isidorus quales triumphos ageret.* — 7. *Isidorus auctoritate florentissimus.*

1. — Quisnam demum ille vir erat qui de omnibus rebus humanis ita libere judicaret, atque in

chant prêtre, et au lieu qu'autrefois, dit S. Isidore, c'étaient les prêtres qui étaient les censeurs des peuples et des rois, et qui, par la sainteté de leur vie, devenaient la terreur des méchants, c'est aujourd'hui le peuple qui est devenu le censeur des prêtres qui redoutent ses jugements, et qui tremblent devant les princes et les grands, parce qu'ils craignent leur mépris ou leur oubli, ou qu'ils aspirent à leurs grâces ». *Discours sur l'excellence du sacerdoce*, Œuvres complètes, Ed. Mequignon, T. X, p. 45.

suos cives et æquales, non tantam dicam auctoritatem, sed tam severum atque honorificum imperium obtineret? Solitarius in monte degebat, nescio cujus speluncæ aut tugurii habitator, nullis divitiis aut potestate instructus, sed multis virtutum ornamentis. Isidorus enim, vix rebus mortalibus valere jussis, quam primum susceperat vitæ rationem omnibus numeris ac partibus explevit. Homo suavissimis moribus, ἄνευ φιλονεικίας (1) ab omni superbia ac supercilio quam longissime aberat, se *minimum Isidorum* vocabat, non probum sane monachum, sed humilem apostolorum auditorem (2). Si qua oritur quæstio difficilior, si quis scripturæ locus vix satis enucleate exprimi potest, non omni asseveratione aliquid affirmat, sed quæ sua sit sententia humanissime exponit. « Fortassis, inquit, quanquam in ea re paulo doctior cæteris videar, in aliis me longe superant et aliqua intellexerunt quorum ego cognitionem non sum assecutus. Expositis igitur iis quæ ego intelligo, rem totam permittam lectorum suffragiis » (3). — Vitam victu cultuque asperam vivebat, tenuissimis ac fere nullis opibus, atque in eas redactus angustias ut Joannis Baptistæ paupertatem repræsentaret, pilis aut durissimo quodam vestitu corpus tegeret et summis herbarum et fruticum apicibus vesceretur (4). Zeno presbyter quidam novum pallium seni

(1) IV, 112.
(2) I, 93.
(3) II, 85; IV, 141.
(4) I, 5.

afferri jussit, ipsumque rogavit ut vestium commutationem non moleste ferret, sed obsoletam tunicam sibi mitteret (1). Statim palliatus, Isidorus Zenoni : « pallium accepimus, scribit, ac tunicam misimus, tibique ingentes gratias habemus qui indumentum unum e duobus a nobis postulasti, quandoquidem Baptistæ legem sic explevimus : δύο χιτῶνας οὐκ ἔχοντες..... Si vero τρίχινον illud sagum, ut quorumdam sanctorum virorum supellectilem, servaturus es, me quidem in summum metum conjicis, ut qui conscientiæ meæ testimonio convincor; tu autem si rursum ad nos miseris, rursumque postulaveris, haudquaquem a nobis accipies ». Ex hoc loco videris et quanta fuerit viri tenuitas et quam præclare de eo omnes existimaverint. Alias scribit ad Paulum diaconum, hominem pecuniosum et vestibus bene instructum : « Simonem, quem ego imprimis amo, vestis pellicca qua amictus est, tanquam nudum ostendit. Et quia in Ægyptum proficiscitur, indumento opus habet. Hunc igitur ego tibi commendo, et quidem Baptistæ lex tunicam abs te διὰ περισσείαν postulat : ὁ ἔχων δεκαδύο χιτῶνας, μεταδότω τῷ μὴ ἔχοντι ἕνα » (2). Sæpe enim Isidorus vitæ subsidia precario efflagitavit, non suis quidem, sed aliorum miseriis commotus.

2. — Heumannus (3) Isidorum objurgavit quod sua monastica philosophia unice delectaretur, et

(1) I, 216.
(2) I, 475.
(3) Heumannus, *Dissert. de Isid. Pel.*, n° XVIII.

eam amplissimis verbis ornaret. Nec mirum si monachus suam vitam habet in deliciis : *trahit* enim *sua quemque voluptas*. « Solitaria secessio non mihi mediocrem scientiam adjunxit. Nam qui in mediis tumultibus versatur ac cœlestium rerum scientiam adipisci studet, illud ignorat : nempe id quod inter spinas seritur, a spinis præfocari, atque eum qui otium non agit, Dei cognitionen consequi minime posse » (1).

3. — Non tamen in sua solitudine ignavus vixit et veternosus, sed miles Christi strenuus exstitit. « Libens ex te sciscitarer, Therasi, qui cavillis nos petis, atque acerbum et infestum te nobis judicem præbes, si te imperator ad propugnaculum collocasset turrisque urbis custodem constituisset, ea autem suffoderetur atque concuteretur, ut hostibus ad urbem aditus pateret, annon instrumentis omnibus atque armis, quæ vel recondita haberes, vel comminisci posses, utereris, prohibens, ac tela jaciens, conatumque hujusmodi frangens, atque tum urbem ac teipsum a periculo vindicans, tum imperatori fidem ac benevolentiam conservans? nobis autem quos Deus Ecclesiæ suæ magistros præfecit, eo nomine succenses quod Ario, qui non modo cum pio grege bellum gerit, sed etiam permultos jam interemit, obsistimus? Ego vero eam ob causam periculum omne contemno : ac quidlibet potius facere desierim, quam ut non illum, quam maxime queam, feriam » (2). Certe qui

(1) I, 402. Cf. I, 77.
(2) I, 389.

ita loquitur, non cessatorem fuisse dices, non languori et ignaviæ se dedisse, non consenuisse in otio. Immo Isidorus infinitum laborem suscepit, non modo assiduum et quotidianum, sed plerumque injucundum, ac sæpe inanem. Quoties operam inutiliter consumpsit ! Quoties, ut ipse ait, Æthiopem dealbavit, ignem et aerem verberavit, campo infructuoso semina mandavit! Instabat tamen operi indefessus seminator, atque odia et invidiam hominum patientia sua ac lenitate mitigabat.

4. — Ne cancellos oratio egrediatur, omnia si persequar, unum tantum proferam : scilicet præcipua in laude esse ponendam Isidori caritatem. Concordiam sæpe inter dissidentium animos redintegravit. Jam supra vidimus eum se interposuisse ut Alypium scholasticum et Alypii quemdam sodalem ab odio ad gratiam reduceret. Nunc alienatos longa simultate fratrum animos in concordiam redigit : « Erant duo olim fratres, adeo inter se dissidentes, ut etiam inimicos ducerent eos qui de reconciliatione verba facere auderent. Primum equidem, repulsam veritus, cum illis agere cunctabar. Tandem rem aggressus, tam facilem comperi ut nulla opus velitatione fuerit. Sat enim fuit me sermonem contulisse » (1). Alias agitur de servo qui suum dominum fugit : « Ad solitudinem hanc, quam incolimus, juvenis quidam venit, nactusque janitorem, ut sibi ad me adeundi potestas fieret, rogavit. Ut igitur pro meo more omnes in domum admittere ac commodum omnibus colloquium et

(1) V, 423 *ad Harpocram sophistam.*

requietem impertire paratus sum, accersitus est. Ille autem statim humi seipsum prostravit, nullum verbum prius locutus, quam ingentem vim lacrimarum profudisset. Posteaquam autem ego et manu eum prehendissem, et me ipsi pro mea virili parte opem laturum esse promisissem, et quisnam esset, atque quanta re opus haberet quæsivissem, famulum tuum se esse dixit, in hujusmodi autem peccatum ex ignoratione incidisse, quod omnem, ut existimabat, resipiscentiam superaret. Ac primo quidem admiratione me affecit. Neque enim Heronem τὸν φιλόχριστον, qui cognitam et exploratam eam Gratiam habebat, quæ omnes in libertatem vindicavit, servum ullum habere arbitrabar » (1). Deinde pungit Isidori animum dolor, dum tam misericordem se præbere Christum hominibus intelligit, homines autem tam severa atque inhumana exercere imperia.

5. — Venit e monte suo Isidorus, Harpocram et Harpocræ discipulos visitatum. Omnes ei obviam processere et in gymnasium deductum amantissime obsecraverunt ut e sacris Litteris aliquid explanaret. Mox dicentem consequitur strepitus et secunda concionis admurmuratio. Ille robore suffusus stupore et silentio defigitur. Neque id satis habuit Harpocras, quod Isidorum exceperit et in schola dicentem probaverit, sed epistolam gratulationis plenam misit hospiti suo (2). Juventutem igitur amplexus est Isidorus eo amore, ea pietate quæ

(1) I, 142, *ad Heronem Scholasticum.*
(2) V, 349, *ad Harpocram Sophistam.*

suavissima est et sanctissima. Nunc veniat iterum velim, non ad Græcorum liberos, non ad sophistarum auditores ; sed veniat utinam in Christianas scholas, atque cum nostris adolescentibus de Deo, de sacris litteris, de morum disciplina, de liberalibus studiis, sermonem aliquando habeat. Nescio enim quam ob causam, *quo numine laeso*, per nostra tempora, omnes ad unum Christianæ antiquitatis auctores et sacrarum litterarum interpretes, communi proscriptione ejecti ac perpetuo exilio mulctati, scholarum limine ac vestibulo prohibeantur. Videlicet qui quondam hospitaliter excepti fuerant, Basilius, Gregorius, Chrysostomus, ad scelestum ac nefarium facinus puerum aliquem impulerunt, ut arbitror ; aut incorruptam græcæ elocutionis consuetudinem, si qua est apud nos hujusmodi consuetudo, contaminavere ac pessumdedere, ideoque ipsis aqua et igne est interdictum ! O fortunatos tamen et præclare litteratos juvenes, si ex Isidori monitis ac præceptis sua consilia ac rationes omnes moderarentur, atque ex Isidori dictione græce loquendi aut scribendi similitudinem ducerent !

6. — Inter virtutes, velim ut lætitiam imprimis et animi alacritatem adolescentes edoceat Isidorus. Tristis est enim ac submorosa nostra juventus, ac capite demisso incedit. Isidorus vero, qua lætitia effertur, si quis ad frugem redit, animum ad melioris vitæ consilia appellit, rebus mortalibus valere jubet ac monasticam philosophiam profitetur ! Tum exsultare et triumphare videtur

ejus oratio : « Utinam ad nos venisses, Apolloni, ut et certaminis et coronæ ac laudis particeps esses. Amicum enim cœlestis philosophiæ amore flagrantem, sed qui postea nonnihil dormitasset, consilio atque cohortatione ac præsertim divini favoris auxilio in viam reduximus. Ac nunc festum diem agitantes, carmen triumphale canimus, atque sermonum poculo temperato, spiritualibusque epulis instructis, amicos convivio accipimus. Veni igitur, ut et nobis gratuleris, et cum illis lætitia exsultes, et cum amicis oblecteris, et cum virtute saltites, ac denique improbitati succenseas, cujus tanta impudentia est, ut iis etiam qui eam fugiunt, insultet » (1). Ea gaudia gaudeat juventus, tales impune agat triumphos !

7. — Ex iis omnibus colligitur Isidorum, ætate jam provectum, sed canitie minus quam eximio splendore virtutum spectatum, excellentem istam ac vere pontificialem auctoritatem sibi constituisse. Non modo apud Pelusiotas atque pagorum et vicinitatum habitatores, sed in tota Augustamnica provincia et Ægypto, ne dicam in universo imperio magnam æstimationem venerationemque collegit. Episcopos et sacerdotes acri cohortatione incitabat, increpitabat, exagitabat, ut partes suas egregie sustinerent, ne quid diligentiæ suæ desiderari paterentur. Monachos etiam in longe remotis locis vitam degentes quominus jacturam facerent dignitatis suæ et abruptis religionum vinculis

(1) III, 273 *ad Apollonium episcopum.*

se in nefariam libertatem restituerent vehementer deterrebat. Magistratus et omnes qui potestatem gerebant ipsumque imperatorem Theodosium consilio adjuvabat, ut suos impetus temperarent, severitatem comitate miscerent et Christianæ reipublicæ formam pulcherrimam effingerent. Rhetores, grammaticos, unumquemque pueritiæ et juventutis præceptorem, ad recte docendum, omnemque diligentiam in tanto suo opere adhibendam impellebat. Pueris tandem et adolescentibus auctor erat ut ab iis ludis, iis spectaculis refugerent quibus morum disciplina paulatim fluere atque inclinari posset. — In iis rebus et curis ætatem omnem exegit, septuaginta aut octoginta annos. Ita enim quæ supra de temporibus copiosius disputavi, nunc strictim resarcio. Isidorum arbitror in lucem editum non multo post medium annum quarti seculi; hanc magnam sibi auctoritatem collegisse, Theodosio juniore imperium inaugurante; epistolas scripsisse ad Rufinum, aut omnium primas, aut prius multis, plerasque e cæteris post annum CD exaravisse; de vitæ mortalis statione decessisse anno circiter CDXXXV. Homo fuit vere pius et sanctus, magister morum gravis ac vehemens, nemini tamen severior quam sibi, summus in Ecclesia Christianæ sapientiæ princeps, atque in epistolico genere miræ cujusdam brevitatis et elegantiæ præclarum exemplar.

# LIBER TERTIUS

# BIBLIOTHECA ISIDORIANA

## CAPUT I

### DE CODICIBUS

#### I. — DE CODICIBUS ACŒMETENSIUM ARCHETYPIS

Codices quattuor monasterii Acœmetensium, quos auctor *Synodici* (1) commemoravit, duo millia epistolarum complectebantur. Quas easdem fuisse, quas habemus excusas, Fabricius, Tillemontius et Niemeyerus existimaverunt. Hanc doctorum virorum sententiam clarioribus luce argumentis confirmarem, nisi neminem scrupulum injecisse aut esse injecturum arbitrarer. Istæ tam multæ epistolæ *numeris continuis* ornabantur. Auctor enim anonymus, quum tredecim epistolas ex his codicibus exscriberet atque in latinas transferret (scilicet e libro I decem : 25, 102, 310, 311, 323, 324, 370, 404, 405, 419 ; e libro IV duas : 166, 211 ; e libro V unam : 268) declaravit *earum per ordinem singularum numeros* in codicibus *contineri*. Præterea

(1) Cf. p. 11.

satis antiquus *Catenae* exscriptor quam J. A. Cramer edidit Oxonii (1) affert Isidori epistolam ͵αφλη' id est 1538 (2), atque alias epistolam ͵αωξη' id est 1868 (3). *Numeris* igitur *continuis,* non librorum distributione epistolæ quondam designabantur.

Facile etiam aliquis animadverteret codicem Vaticanum 649, primum tomum Altaemsis (4). Codicem Ottobonium (5), necnon et Vindobonensem (6), *mille,* non minus, non amplius, epistolis constare. Id certe ostendit in archetypis codicibus, post mille priores epistolas fuisse aliquam intermissionem, ut ipse *Synodici* Auctor declaravit. Quæ cum ita sint, non diutius morabor quin ad duos codices Parisienses veniam.

## II. — DE CODICE PARISIENSI DCCCXXXII

*Codex* est *membranaceus, quo continentur Isidori Pelusiotae epistolae numero 1213. Is codex seculo XIII exaratus videtur.*

Ut pauca hæc verba indicis legi, volumenque versavi manibus, animum statim retuli ad Billium, qui et ipse 1213 epistolas habuit, et istas easdem. Sed hic *continuis numeris* epistolæ notantur. Omnia certe ita congruunt, ut isto codice aut aliis similibus usum esse Billium libenter

(1) Annis 1838-1844.
(2) T. III, p. 325.
(3) P. 368.
(4) Cf. Possini not. ad libri III ep. 201.
(5) Cf. Montefalconium, *Bibl. bibl.*, p. 185, A.
(6) Cf. Lambecium et Niemeyer.

demonstrarem. De scripturæ diversitate nonnulla, calamo currente collegi.

Inscriptio est libri : Ἐπιστολαὶ τοῦ ἁγίου Ἰσιδώρου τοῦ Πηλουσιώτου. Ita plane Billius. Editores recentiores addunt : εἰς τὴν ἑρμηνείαν τῆς θείας γραφῆς ex cod. Bav.

Epist. 2 *ad finem* : ἐν ἑκάστῳ, iterum cum Billio ; alii ἐν κόσμῳ.

Epistolæ 14, 56 inscribuntur Πρίμῳ μονάζοντι. Similites Vat. et Alt. Editores vero : Πατρίμῳ.

Epist. 82, *initio*, ἐν Γαβαά, non ἐν Ταβρά , ut in editis insulse.

Epist. 154 inscribitur Πηλουσιώταις, nec plura.

Epist. 160, *ad finem* : βολαῖς, non ut in editis : βοαῖς.

Epist. 161, φαιδρός, cum codicibus Vat. et Alt.; edita : φαιδρῶς.

Epist. 166 inscribitur Μαρτινιανῷ, non Μαρτιανῷ.

Epist. 178 inscribitur Ρουφίνῳ ἐπάρχῳ πραιτωρίων καὶ τοῦ κρίματος. Edita tantum : Ρουφίνῳ.

Epist. 197 plane concordat cum codicibus Vat. et Alt.

Epist. 364 inscribitur Κωμασίω. Editores vero Πωμασίῳ.

Epist. 413 : Σερίνῳ ; in editis : Σερήνῳ.

Epist. 420 : Κυρηνίῳ, melius pro Κυρηκίῳ editorum.

Epist. 452, *ad finem* : εἰς κύρσεις πονῶν, cum Vat. et Alt.; edita : εἰσκύρσεις ποιῶν.

Epist. 496 inscribenda Κωνσταντίνῳ, ut recte Billius ; alii vero : Κωνσταντίῳ.

Epist. 497 : δύο λαοὺς, cum Vat. et Alt.

*Folio* 46, epist. 501 = libri II epist. 1 in editis. Non legitur τί ἐστι τὸ..... neque Billius legit.

*Folio* 98 *verso*, epist. 801 = in editis libri III epist. 1.

*Folio* 155 *verso*, epist. 1213 = in editis libri III epist. 413 et ultima. Desinit : κολάσεις προσδοκάτω. Ita Billius in fine suæ editionis, p. 672.

Hæc satis sint ; in variarum enim lectionum descriptione non mea res agitur. Quod meum est, *habemus has mille ducentas ac tredecim epistolas, ordine antiquorum codicum minime perturbato.*

## III. — DE CODICE PARISIENSI CMXLIX

*Codex* est *chartaceus, emptus anno Christi 1687, quo continentur : 1°..... 2°..... 3°..... 4°..... 5° Isidori Pelusiotae epistolae aliquot... — Is codex seculo XIV exaratus videtur.*

*Folio* 127 *verso*, curiosis oculis perspexi : Μέρος ἐκ τῶν ἐπιστολῶν Ἰσιδώρου τοῦ Πηλουσιώτου χιλιάδων δύω. Atque a *fol.* 127 ad *fol.* 193, percensui epistolas 229, *numeris suis, et illis continuis instructas.* Prima erat epistola ͵αφνβʹ (1552) ; ultima ͵αψοʹ (1770).

Tum subiit animum cogitatio : librum quartum Rittershusii jamdudum suspicabar tumultuosa ratione fuisse congestum. Quid enim ? Codex Bavaricus, quo usus est, epistolas 659 comprehendebat (id ex Hardtii *catalogo*, p. 247-248) ; ex hoc numero novas ac nondum a Billio vulgatas 230 Rittershusius repperit ; aliæ igitur 429, tum in libro primo Billii, tum in secundo, tum in tertio, ut ex notis Rittershusii colligebam, passim occurrebant. Insuper his, animadverteram epistolarum ordinem sive a codice Bavarico, sive a Rittershusio, interdum

ita affectatum, ut longa series epistolarum ab eadem litterula aut ab eadem voce initium faceret. (v. g. epistolæ 125-132 incipiunt a Π ; epistolæ 133-170, duabus exceptis, incipiunt a I ; epistolæ 171-192 ab O ; epistolæ 210-221 a voce ἐπειδή). Nihil prorsus simile in libris cæteris. His de causis animo augurabar et conjectura antiquum epistolarum ordinem a codice Bavarico fuisse depravatum.

Nunc vero tenebam manibus epistolarum fasciculum, ita collectum, ita numeris instructum, ut meæ opinionis periculum experiri tandem liceret. Etenim si verus ac legitimus erat ordo in editis servatus, quandoquidem quattuor priores libri epistolas 1443 tantum comprehendunt, nihil commune erit his quattuor libris cum nostro codice, qui ab epistola 1542 exorditur. Imo potius epistola 1542 codicis respondebit epistolæ 99 libri quinti, in editis ; epistola codicis 1543 epistolæ 100 ejusdem libri, et eadem ratione fiet, non interrupte usque ad epistolam 1770 codicis quæ epistolæ 327 libri V editorum consonabit. Sed multo secus omnia cecidere. Reperiebam enim :

epist. cod. 1542 inscriptam esse *ad Ophelium grammaticum*,

epist. vero libri V, 99 *ad Hieracem diaconum* ;

epist. cod. 1543 inscriptam *Zosimo presbytero*,

epist. contra 100 libri V, *Hieraci diacono* ;

epist. cod 1770 inscriptam *Hermino comiti*,

epist. 327 libri V : *Martiniano, Zosimo et Maroni*.

His strictim deprehensis, quum dilationem occasio non pateretur, minutim e codice in adversaria mea retuli omnium epistolarum inscriptiones et initia,

atque ubi se obtulit rei opportunitas, istas, non sine magno quodam labore, tabellas descripsi, quibus, et verum e codice epistolarum numerum, et falsum in editis locum, simul oculis subjicerem, et dispersas palantesque epistolas in ordinem antiquum redigerem, isto modo :

[*Prior numerus est codicis, alter editorum.*]

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| 1542 | V, 245 | 1565 | IV, 1 | 1588 | V, 275 |
| 1543 | V, 246 | 1566 | V, 260 | 1589 | V, 276 |
| 1544 | V, 247 | 1567 | IV, 134 | 1590 | IV, 29 |
| 1545 | V, 248 | 1568 | IV, 14 | 1591 | IV, 30 |
| 1546 | IV, 39 | 1569 | IV, 86 | 1592 | IV, 220 |
| 1547 | IV, 191 | 1570 | IV, 78 | 1593 | IV, 21 |
| 1548 | IV, 185 | 1571 | V, 261 | 1594 | IV, 209 |
| 1549 | IV, 228 | 1572 | V, 262 | 1595 | V, 277 |
| 1550 | V, 249 | 1573 | IV, 203 | 1596 | IV, 43 |
| 1551 | V, 250 | 1574 | V, 263 | 1597 | V, 278 |
| 1552 | V, 251 | 1575 | IV, 113 | 1598 | V, 279 |
| 1553 | V, 252 | 1576 | V, 264 | 1599 | V, 280 |
| 1554 | IV, 28 | 1577 | IV, 187 | 1600 | V, 281 |
| 1555 | IV, 211 | 1578 | V, 265 | 1601 | IV, 57 |
| 1556 | V, 253 | 1579 | V, 266 | 1602 | V, 282 |
| 1557 | V, 254 | 1580 | V, 267 | 1603 | IV, 214 |
| 1558 | IV, 168 | 1581 | V, 268 | 1604 | IV, 201 |
| 1559 | V, 255 | 1582 | V, 269 | 1605 | V, 283 |
| 1560 | V, 256 | 1583 | V, 270 | 1606 | V, 284 |
| 1561 | V, 257 | 1584 | V, 271 | 1607 | IV, 169 |
| 1562 | IV, 127 | 1585 | V, 272 | 1608 | V, 285 |
| 1563 | V, 258 | 1586 | V, 273 | 1609 | IV, 111 |
| 1564 | V, 259 | 1587 | V, 274 | 1610 | V, 286 |

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| 1611 | IV, 54 | 1643 | V, 311 | 1675 | V, 339 |
| 1612 | V, 287 | 1644 | V, 312 | 1676 | V, 340 |
| 1613 | V, 288 | 1645 | V, 313 | 1677 | IV, 145 |
| 1614 | V, 289 | 1646 | IV, 6 | 1678 | V, 341 |
| 1615 | V, 290 | 1647 | IV, 23 | 1679 | V, 342 |
| 1616 | IV, 44 | 1648 | V, 314 | 1680 | V, 243 |
| 1617 | IV, 85 | 1649 | V, 315 | 1681 | V, 344 |
| 1618 | V, 291 | 1650 | V, 316 | 1682 | IV, 32 |
| 1619 | V, 292 | 1651 | V, 317 | 1683 | IV, 15 |
| 1620 | V, 293 | 1652 | V, 318 | 1684 | IV, 106 |
| 1621 | V, 294 | 1653 | V, 319 | 1685 | V, 345 |
| 1622 | V, 295 | 1654 | V, 320 | 1686 | V, 346 |
| 1623 | V, 296 | 1655 | V, 321 | 1687 | V, 347 |
| 1624 | V, 297 | 1656 | V, 322 | 1688 | V, 348 |
| 1625 | V, 298 | 1657 | V, 323 | 1689 | V, 349 |
| 1626 | IV, 24 | 1658 | V, 324 | 1690 | V, 350 |
| 1627 | V, 299 | 1659 | IV, 35 | 1691 | IV, 75 |
| 1628 | V, 300 | 1660 | V, 325 | 1692 | V, 351 |
| 1629 | V, 301 | 1661 | V, 326 | 1693 | V, 352 |
| 1630 | V, 302 | 1662 | V, 327 | 1694 | V, 353 |
| 1631 | V, 303 | 1663 | V, 328 | 1695 | IV, 42 |
| 1632 | V, 304 | 1664 | V, 329 | 1696 | IV, 91 |
| 1633 | V, 305 | 1665 | V, 330 | 1697 | V, 354 |
| 1634 | IV, 36 | 1666 | V, 331 | 1698 | IV, 204 |
| 1635 | V, 306 | 1667 | IV, 80 | 1699 | V, 355 |
| 1636 | V, 307 | 1668 | V, 332 | 1700 | V, 356 |
| 1637 | IV, 50 | 1669 | V, 333 | 1701 | V, 357 |
| 1638 | IV, 81 | 1670 | V, 334 | 1702 | V, 358 |
| 1639 | V, 308 | 1671 | V, 335 | 1703 | IV, 170 |
| 1640 | IV, 219 | 1672 | V, 336 | 1704 | V, 359 |
| 1641 | V, 309 | 1673 | V, 337 | 1705 | V, 360 |
| 1642 | V, 310 | 1674 | V, 338 | 1706 | V, 361 |

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| 1707 | V, 362 | 1729 | V, 374 | 1751 | V, 387 |
| 1708 | V, 363 | 1730 | IV, 98 | 1752 | V, 388 |
| 1709 | V, 364 | 1731 | V, 375 | 1753 | V, 389 |
| 1710 | V, 365 | 1732 | IV, 224 | 1754 | V, 390 |
| 1711 | V, 366 | 1733 | IV, 216 | 1755 | V, 391 |
| 1712 | V, 367 | 1734 | IV, 52 | 1756 | IV, 176 |
| 1713 | V, 368 | 1735 | IV, 223 | 1757 | V, 392 |
| 1714 | IV, 8 | 1736 | V, 376 | 1758 | IV, 175 |
| 1715 | IV, 96 | 1737 | IV, 142 | 1759 | IV, 164 |
| 1716 | IV, 94 | 1738 | V, 377 | 1760 | IV, 132 |
| 1717 | IV, 173 | 1739 | IV, 77 | 1761 | V, 393 |
| 1718 | IV, 31 | 1740 | V, 378 | 1762 | V, 394 |
| 1719 | IV, 71 | 1741 | V, 379 | 1763 | V, 395 |
| 1720 | IV, 179 | 1742 | V, 380 | 1764 | IV, 169 |
| 1721 | V, 369 | 1743 | V, 381 | 1765 | V, 396 |
| 1722 | IV, 87 | 1744 | V, 382 | 1766 | V, 397 |
| 1723 | V, 370 | 1745 | V, 383 | 1767 | V, 398 |
| 1724 | V, 371 | 1746 | V, 384 | 1768 | V, 399 |
| 1725 | IV, 165 | 1747 | V, 385 | 1769 | V, 400 |
| 1726 | IV, 16 | 1748 | IV, 118 | 1770 | IV, 66 |
| 1727 | V, 372 | 1749 | IV, 46 | 1538 * | IV, 66 |
| 1728 | V, 373 | 1750 | V, 386 | 1868** | IV, 112 |

His igitur tabellis intelligimus quanam ratione turbatus fuerit antiquus ordo. Scilicet codex Bavaricus et illius archetypus Venetus, Bavarico cæterum locupletior (Cf. Rittershusium, Sixtum Senensem, Montefalconium, Laurentium Theupinum apud Niemeyer, p. 56) eclogarii erant libri, pas-

* Ex *Catena* Cramer, T. III, p. 325.

** *Ibid.*, p. 368.

sim et undique exscripti. Epistola quæ in his codicibus primum locum obtinet, inscripta *ad Isidorum episcopum* : Ἐπειδὴ κυκλικόν ἐστι (IV, 1), revera collocanda est inter quingentas ultimas, numerum enim habet 1565. Rittershusius, quum Bavaricum penes se haberet, multasque ibi legeret epistolas jam a Billio vulgatas, sed tribus libris vagantes ; ducentas et triginta putaret esse novas ; has vero et illas videret sine ordine dispositas, aut suum arbitratum, aut codicis fidem secutus, ex iis epistolis quæ jam notæ erant, lectiones novas eruit, ex reliquis ducentis et triginta librum qualemcumque suum conflavit. Quod magis demiror, Schottus, qui Romanos codices bene dispositos et suis numeris instructos excusserat, exortam perturbationem non modo non sustulit, sed ne suspicione quidem attigisse visus est. Ipse iterum, quas novas invenit epistolas et Rittershusio invisitatas, neglectis aliis, in quintum suum librum coegit. At Schottus saltem suorum codicum ordinem bonum et optimum servavit. Exinde factum est, ut centum quinquaginta sex epistolæ quinti libri, quæ inter epist. 1542 et epist. 1770 codicis Parisiensis collocantur in meis tabellis, ita uno tenore defluant a 245 ad 400, ut ne una quidem lacuna sit.

## IV. — DE VERO EPISTOLARUM EXCUSARUM NUMERO

Tillemontius quondam animadvertit nonnullas Isidori epistolas aut in duas partes distributas esse, aut bis hic et illic in editionibus positas (*Mem.*

T. XV, p. 847). In unam primum coegit duas (IV, 206-207) ad Heronem presbyterum (cod. Vat.) aut ad Theodosium diaconum (edit.) inscriptas; quod mihi quidem minus placet. Utraque enim suum habet exordium, atque in altera Isidorus eas ἀγυρτικὰς λογοποιΐας interpretatur, quas in priore se omissurum declaravit. Exemplum vero secundum quod Tillemontius affert, probo vehementer. Mutila quædam, et diminuta habes epistolia ad Leandrum (I, 271 et 272) quæ occurrunt iterum (I, 303) fere eisdem verbis, sed inter se aptiora et in unam suaviorem et graviorem epistolam convenientia. Non tamen in Billium culpam ego conferam, malim ex veterrimis codicibus criminis reum eruere. Dedit enim Billius integra, epistolarum ordine servato, duo priora Acœmetensium volumina.

Sed quid tandem? In istis tam decantatis Acœmetensium codicibus duo millia epistolarum conservabantur. Nos habemus excusas, ut videtur, duo millia et duodecim. Unde ista mirifica accessio? Viri docti multum in hoc sudaverunt, et adeo contenderunt ut nimium numerum plus æquo extenuarent. Niemeyer enim, non duodecim demptis epistolis, ut æquum erat, sed quatuordecim violentius detractis, mille nongentas nonaginta octo exstare voluit. Ego paucis rem absolvam et omnino, ut spero, conficiam. Quoniam vero de arithmeticis rebus agitur, mathematicorum more calculos subducam.

Tres priores libri constant epistolis 1213, liber vero quintus epistolis 569. Omne ergo opus Isido-

rianum, libro quarto secluso, epistolas 1782 complectitur. Quas si e duobus millibus adimis, superunt vacuæ sedes 218. Quæstio igitur ea ratione ponenda est : *Ecquid liber quartus habet supra ducentas epistolas et duodeviginti ?*

Primo certe aspectu libri, ducentæ ac triginta epistolæ dinumerantur ; verum si quis omnia secum in animo considerat, potuit Rittershusius rursum in lucem dare quod in tribus libris suis Billius luci commiserat, potuit et ipse Schottus iterum typis excudere quod Rittershusius in tumultuario suo libro viginti ante annos evulgaverat. Potuere isthac ratione et aliis quibusdam modis duodecim epistolæ semel atque iterum in opere reponi. Rebus ergo mature exquisitis, nacti sumus :

1° Epist. 4 libri I, *ad Timotheum lectorem* denuo a Rittershusio dari : IV, 195 (ita Possinus) ;

2° Epist. 29 ejudem libri *ad Lucium archidiaconum* perperam renasci : IV, 188 (Tillemontius) ;

3° Epist. 249 ejusdem libri *ad Epictetum* iterum describi et exstare : IV, 156 (Possinus) ;

4° Epist. 430 ejusdem libri *ad Heliam* vix uno et altero verbo differre ab epistola IV, 197 ;

5° Epist. 285 libri II *ad Theodotum presbyterum* rursus a Rittershusio reponi : IV, 180, inscriptione paululum mutata, *ad Theodosium presbyterum* (Heumannus) ;

6° Epistolam a Schotto positam, libro V, 43, et *ad Dorotheum virum praeclarum* inscriptam, omnino eamdem esse atque istam Rittershusii : IV,

199, sine inscriptione ; hanc ergo, non illam esse auferendam ;

7° Epistolam Schotti : V, 91, *ad Marcianum presbyterum* haud aliam sine dubio esse atque libri IV, 147, et hanc esse adimendam ;

8° Epistolam 138 libri V, *ad Athanasium presbyterum*, verbis respondere epistolæ 190 libri IV, quæ prorsus supervacua existit ;

9° Epistolam 139 libri V, *ad Heliam diaconum* omnino consonare verbis epistolæ 122 libri IV, quæ et ipsa redundat ;

10° Epistolam 239 libri V, *ad Petrum*, denuo a Schotto fuisse editam quæ legebatur apud Rittershusium : IV, 56, *ad Petrum scholasticum* ; hujus ideo locupletiorem inscriptionem retinendam, textum vero eliminandum ;

11° Rittershusium gravius etiam deliquisse et cunctis editoribus et criticis præclare fucum fecisse, ducentas et triginta epistolas promittendo, et numeris, ut primum videtur, commetiendo, duas vero imprudenter subtrahendo et duas obiter sedes prætermittendo omnino vacuas. Quærat et exquirat lector velim epistolam 79 libri IV. Nihil quidquam inveniet, ne pilum quidem.

12° Aliquot iterum paginas evolvat, omnia iterum perlustret, ut ejusdem libri epistolam 131 reperiat. Obviæ venient epistola 130 *ad Hypatium* atque epistola 132 *ad Paulum*, sed in medio ne vestigium quidem ullum erit epistolæ 131. Numeri interea currunt, 132, 133..... neque *tardos opperiuntur.*

Habemus igitur e libro IV ejiciendas :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Epist. | 56 | quæ eadem est atque libri | V, 239; |
| | 79 | quæ nulla est; | |
| | 122 | quæ eadem est atque libri | V, 139; |
| | 131 | quæ nulla est; | |
| | 147 | quæ eadem est atque libri | V, 91; |
| | 156 | » | I, 249; |
| | 180 | » | II, 285; |
| | 188 | » | I, 29; |
| | 190 | » | V, 138; |
| | 195 | » | I, 4; |
| | 197 | » | I, 430; |
| | 199 | » | V, 43. |

His duodecim explosis, supersunt epistolæ libri IV *ducentae decem et octo*, quæ cum cæterorum librorum *mille septingentis octoginta duabus* plane et perspicue *duo* millia efficiunt, et archetyporum codicum numerum exæquant. Igitur si novus posthac editor universas Isidori epistolas continuis numeris ornare decreverit, has tabulas eum sequi necesse fuerit:

| | | |
|---|---|---|
| Epistolæ | 1 - 500 | Lib. I. |
| | 501 - 800 | Lib. II. |
| | 801-1213 | Lib. III. |
| | 1214-1541 | Lib. V, 1-244.<br>Lib. IV epistolæ LXXIV. |
| | 1542-1770 | Lib. V, 245-400.<br>Lib. IV epistolæ LXXIII. |
| | 1771-2000 | Lib. V, 401-569.<br>Lib. IV epistolæ LXI. |

# CAPUT II

## DE ISIDORI EPISTOLARUM EDITIONIBUS

### I. — DE TRIBUS LIBRIS BILLII

Jac Billius Prunæus, S. Michaelis in Eremo Cœnobiarcha, quum esset vir magnæ lectionis et græcorum studiorum excultissimus, procurante Lud. Baro, Romani Antistitis Prodatario, præter alia multa exemplaria, accepit græcas Isidori epistolas ex Museo Card. Sirleti eleganter descriptas ; quæ ei tanto gratiores fuere, quanto magis depravati erant et mendis scatebant codices illi, quibus tum utebatur. Has ergo ut accepit, ac velut thesaurum in agro absconditum nactus est, eas latinitate donavit. Rem jam absolutam disturbavit mors præmatura (anno MDLXXXII). Sed Joannes Chatardus, quem suæ voluntatis administrum destinaverat, non modo docti interpretis latinam versionem edi curavit, sed ut ipsæ etiam græcæ Isidori epistolæ typis primum exprimerentur, *non sine magna bibliopolae molestia et aegritudine*, tandem extorsit. Opus in lucem editum, anno MDLXXXV. [*S. Isidori Pelusiotae epistolarum amplius mille ducentarum libri tres, nunc primum graece editi. Quibus e regione accessit latina clar. viri Jacobi Billii Prunaei S. Michaelis in Eremo quondam Cœnobiarchae interpretatio. — Parisiis apud Guilelmum Chaudiere, via Jacobaea, sub insigni Tem-*

*poris et Hominis Sylvestris*]. Tribus libris conflatur, seu mille ducentis ac tredecim epistolis. Billii exsequias comitantur laudatores N. Gulonius P. Morellius Turonensis, Rich. Stephanus Anglus, græce ac latine carmina pangentes. Fuit enim Billius Isidoro οὐχ ἧττων ἤθεσιν, οὔτε λόγοις, Billius μέγα κῦδος Ἀχαιῶν, quo

Gallica nil græce doctius ora tulit.

Ipse evocatur Pelusiota, ut suum interpretem in cœlum ferat :

Mille annos latui ; quod prodeo lætus in auras,
Ingenio, Billi, debeo, docte, tuo.

Scilicet Isidorus ex metu oblivionis in solem producebatur, sed dimidiatus tantum et quasi semisomnus.

## II. — DE QUARTO LIBRO RITTERSHUSII

Cunradus Rittershusius, jureconsultus Norimbergensis, πρόσχημα σεμνῶν Ῥιττερούσιος νόμων (J. Scaliger), *Phœbi Flos* et *Dices Columna* (Theod. Sizmannus), Pelusiotæ causam rursus suscepit, atque, ut ait laudator, omne tulit

Dono hoc nos mactans e censu divite, punctum.

Monaci in bibliotheca Principis Bavariæ codex exstabat, non quidem perantiquus, imo illa tempestate recens et a Petro Carneade Epidaurio Venetiis seculo XVI exaratus, sed litteris minutis

et elegantibus, quo non paucæ quidem Isidori epistolæ Billio invisitatæ cum multis aliis notioribus includebantur. Rittershusius David Hœschelium interpretem et proxenetam suum adhibuit ut, optatum codicem a Bavariæ principe impetraret. Neque aliquid est consecutus antequam M. Velserus, Augustanæ Reipublicæ duumvir, pecuniæ periculum fecerit et mille florenos in vadimonium præstiterit (ita refert Georg. Rittershusius in vita patris sui Cunradi). Tum Rittershusius, ignarus conditionis et voti compos factus, totus incubuit operi. Nova quidem auxilia sperabat ex Vaticana bibliotheca subministranda. « Ibi enim, ut ipse ait, plurimas etiam ἀνεκδότους Pelusiotæ epistolas latere perhibent αὐτόπται, et earum initia ab Andr. Schotto exscripta fuere ». Cupierat interdum Rittershusius suum opus edi Lutetiæ, ut Is. Casaubono scripserat. Sed quum Casaubonus de ea re quid certi sponderet non habere fateretur, et Lutetiæ græcorum editio lentius procederet, Commelianis Neostadii et Bonutianis rem commisit, atque Andr. Schotto morante, bibliopolis vero urgentibus, accuratiori singulorum emendationi ἀναγνώστην et ἐπανορθωτὴν delegavit, et in litteris ad Jan. Gruterum suo Isidoro precatus est ut bonis avibus prodiret et bono publico pariter ac Bonutiis privatim prodesset plurimum. [*S. Isidori Pelusiotae de interpretatione divinae Scripturae epistolarum libri quatuor. Quorum tres priores cum latina interpretatione Jac. Billii primum ante annos* XX *Parisiis prodiere. Jam vero sub prelum revocati, MS. cod. Bavarici ope, plurimis in locis insigniter aucti, sup-*

*pleti, correcti sunt. Quartus nunc primum exit novus ex eodem codice Bav. cui Venetus in bibliotheca S. Marci respondet, descriptus et latinus factus a Cunrado Rittershusio J.-C. Ex officina Commeliniana.* MDCV.]

Circumfluunt iterum encomiastica partim carmina, partim epistolia clarorum virorum, Jos. Scaligeri, Is. Casauboni, Scip. Gentilis, ut mittam alios. Billius enim sui auctoris non polivit paginas, judice J. Scaligero, vulneraque hiantia reliquit :

Ὁ πρόσθ' ἐς αὐγὰς Ἰσίδωρος ἐκδοθεὶς
Μέλη τίν' ἦν μὲν Ἰσιδώρου, σῶμα δ'οὔ.

Isidorus quondam, Sc. Gentilis ait,

Aurea divinæ volvebat flumina linguæ ;
Sed quotus inde sacras quisque bibebat opes ?
Obscuris veluti desertis ibat arenis,
Vicinis errans Syrtibus Æthiopum ;
Quodque magis miserum est, nec se bene noverat ipse,
Et lacerum sparsis syrma trahebat aquis.

Quid plura ? Nunc Rittershusii beneficio omnia mutata sunt et conversa. His testimonis etiamsi movear, dicam quæ vera et certa sunt : Rittershusium æquo facilius suo codici fidem adjunxisse, atque perturbato epistolarum ordine, nonnihil detrimenti attulisse Isidoro.

### III. — DE QUINTO LIBRO ANDREÆ SCHOTTI

Andr. Schottus, quum rem sibi non integram remansisse videret, omnino tandem absolvere in

animum induxit. Romæ in Vaticana Bibliotheca observaverat plures adhuc delitescere Isidori epistolas ἀνεκδότους, de locis sacræ Scripturæ moribusque formandis. Recisis ergo epistolis quas Billio aut a Rittershusio vulgatas notaret, multas novas Antuerpiæ typis Mutianis excudendas curavit, prope sexcentas, triginta demptis et una. [*S. Isidori Pelusiotae epistolae hactenus ineditae, ex Vaticana Pontificis bibliotheca nunc primum erutae notisque et argumentis illustratae ab Andrea Schotto, Soc. Jesu presbytero. — Antuerpiae* MDCXXIII, *in* 8°] Græce quidem dumtaxat quintus ille liber lucem primum aspexit, cum spe bona Schotti fore ut exstaret aliquis qui latine interpretando prævorteret illoque fasce levaret. Sed temporis infelicitate, aut, ut ipse ait, socordia (jam diu enim viri litterati in hos questus effundi solent), « perpauci illas austeriores musas sequuntur, plerisque amæniora dumtaxat, ut poetica studia, vel ad questum pertinentia magis quam ad nominis immortalitatem consectantibus ».

In hac interpretum paucitate Schottus epistolis hisce rursus incubuit, de græcis convertit, locisque obscuris σχόλια adhibuit, novaque argumenta. Interdum quum vellet rei litterariæ commodis consulere, et quinque Isidori libros in unum corpus congerere, ad Gruterum notulas miserat, quæ, si in funestissima Heidelbergæ clade (1622) non omnino periere, aliquantulum captivæ permanserunt. Eadem etiam miserat notulas ad Sirmondum Lutetiam, De nova et integra editione Isidori Petavius cum Morello diligenter egit, neque is abhorrere

videbatur. Similiter, ut egressæ fuerant Bibliotheca Vaticana novæ hæ epistolæ, par erat ut reverterentur cum aliquo peregrinationis suæ compendio. Exierant græce, ut sunt ab auctore conscriptæ, alterum nunc idioma didicerant et a Schotto missæ fuerant Romam ad David Haex suum nepotem, ut doctorum virorum judicio examinatæ, limaque, si opus haberent, expolitæ, card. Barberino offerrentur.

Triplex illud consilium, Francofortianum nempe, Parisiense et Romanum, mors rapiditate vicit. Defunctus est Schottus ante diem X Kal. Febr. A. MDCXXIX; et paucis diebus elapsis, e Francofortia Antuerpiam ferebatur liber quintus [*S. Isidori Pelusiotae, presbyteri epistolarum, quae in Billii et Rittershusi editionibus desiderantur, volumen reliquum, quas ex Vaticana Summi Pontificis Bibliotheca nuper erutas, nunc primum graece et latine conjunxit, notisque et argumentis illustravit R. P. Andreas Schottus, Soc. Jesu presbyter, cum censura et permissu superiorum. — Francofordiae apud Guilhelmum Fitzerum, typis Matthaei Kempfferi*, MDCXXIX.] Hominem jam fato perfunctum his verbis editor compellabat quæ digna putavi ut notarantur et describerentur, propter Bibliothecæ Gruteranæ mentionem : « Redit ad te, pater Schotte, Isidorus tuus post bene longam captivitatem, in qua eum *carcer Jani Gruteri*, veluti mancipium quoddam, cum aliis id genus liberalis notæ monumentis, præter votum tuum hactenus detinuerat. Verum *Suffridus Sixtinus Ambstelrodamensis, qui optimam Gruteranae*

*Bibliothecae partem in usum ac possessionem suam redegit*, non est passus tam sanctum, tam pium, tam sapientem, tam disertum scriptorem diutius in isthoc tenebroso carcere delitescere, sed inde extractum liberali manu asseruit, haudque gravatim consensit, ut in dias luminis oras, tuo vestitus ac splendens ornatu, a Fitzeto nostro produceretur ét hoc pacto in libertatem suam restitutum ire juberet quo vellet ».

Elegans quidem erat Fitzeti editio et accurata, sed quintum duntaxat librum epistolarum continebat cum notis et latina interpretatione.

Iisdem fere diebus, sola interpretatio latina a Davide Haex Romæ edebatur. [*S. Isidori Pelusiotae epistolae, latine nunc primum editae, interprete Andrea Schotto. — Romae, ex typ. Francisci Corbelletti,* MDCXXIX.] Parvum volumen erat S. R. E. Bibliothecario, Card. Barberino dicatum, nempe *ut Vaticanarum arborum fructus.*

## IV. — DE EDITIONE MORELLIANA

Morellus vero Lutetiæ procrastinabatur, frustra impellentibus Sirmondo et Petavio. Immane enim consilium moliebatur typographus Pariensis, *magnam* scilicet *Patrum Bibliothecam* typis mandandi. Simul ut visum est illud consilium maturitatem habere suam, faustis ac præclaris Petri Seguier, magni Franciæ Cancellarii, auspiciis, primum tandem tanti operis volumen edidit, Isidorum Pelusiotam, quem idcirco primum omnium in lucem prodire voluit, quod eum auctorem præ cæteris

maxime ab omnibus expeti cognovisset. [*S. Isidori Pelusiotae de interpretatione divinae Scripturae epistolarum libri quinque, quorum tres priores ex interpretatione Jac. Billii Prunaei, quartus autem a Cunrado Ritthershusio J.-C. qui et notas uberiores et summas et indices prioribus libris adjecit et quintus ab Andr. Schotto, Soc. Jesu presbytero, nunc primum in Gallia prodeunt. — Parisiis, sumptibus Ægidii Morelli, via Jacobaea, ad insigne Fontis* MDCXXXVIII *cum privilegio regis.*] De hac editione omnium celeberrima, ne asperius pronuntiare videar, Niemeyerum testem adhibebo : « Multis, inquit, scatet erroribus typographicis ; stellæ quibus Rittershusius in Bavarico codice aut unum aut complura addita esse vocabula significare voluit, in textum receptæ sunt : neque tamen scripturæ diversitas est indicata ». Nonnulla crimina addere possim, sed minus ad rem. In ista tandem cujusmodi compilatione, excusæ sunt, ut videtur, epistolæ Isidori *bis mille et duodecim*.

## V. — DE ISIDORIANIS COLLATIONIBUS ARCUDII

Card. Franciscus Barberini, quum videret Parisiensem editionem Morelli passim hiulcam et mendosam, lacunarumque et corruptelarum indicibus, asteriscis uncinis, crucibus deformatam, huic malo ut mederetur, per virum eruditionis eximiæ *Franc. Arcudium* Græcum Calabrum, postea episcopum Nuscanum, cum *sex optimis* antiquissima scriptis manu *codicibus, duobus Vaticanis, totidem Altaemsibus, uno Sfortiano, sexto Barberino* conferen-

das Isidorianas omnes epistolas diligentissime curavit, exacte asumptis per margines editionis Parisiensis variis lectionibus et supplementis. Corrigebantur ex his menda inumerabilia, veri non antea introspecti aperiebantur sensus auctoris, multa casu omissa et ad sententiam necessaria supplebantur. Ita fere Possinus.

Accuratiorem horum septem codicum descriptionem adumbrarem, nisi Possinus, in sui operis laudatione profusus, in aliis partibus brevitati potius quam perspicuitati studuerit. Hæc tamen pauca collegi.

*Codex Vaticanus 649* mille epistolas comprehendit, scilicet libri primi quingentas, secundi trecentas, tertii ducenas. In epistola ducentesima *ad Lampetium episcopum*, ut ait Possinus, desinit codex Vat 649 (Cf. not. ad locum).

Codex Vat. 650 inscriptus : *Epistolarum Isidori Pelusiotae liber II*, incipit a ducentisima prima libri III *ad Theodosium episcopum*, atque millenarium numerum iterum explet. Certe continet epistolam ultimam libri V *ad Zosimum*.

Eodem modo *codices Altaemses* (scilicet e Biblioth. Card. Altemps, quæ a Paulo V in Vaticanam effusa est) tomis constant duobus. Prior in ducentesima prima libri III terminabatur, posterior reliquas omnes includebat.

Ista sunt quattuor volumina in rebus Isidorianis omnium pretiosissima, quæ multo præstabilius fuisset solida atque integra juris publici facere quam Rittershusii et Schotti dissolutum ordinem infeliciter conglutinare. Si quis istam provinciam

etiamnunc sibi deposceret, confiderem fore ut pristinis Acœmetensium opibus nos tandem potiremur.

*Codicem Sfortianum* Arcudii eumdum esse putavit Niemeyerus atque illum quem Montefalconius *Bibl. Bibl.* p. 699 commemoravit his verbis : Isidori Pelus. epistolæ LVIII. — Ego vereor ut ne in pluribus quam sexaginta epistolis Possinus Arcudii codicem afferat.

De *Codice Barberino* nihil habeo scribere præter illud Possini : « Barberinus nunc primum (nempe in epist 19 libri 1) novi aliquid suggerit ».

Qui vero casus quæve occasio effecerit ut liber ab Arcudio tot adnotamentis quasi fimbriatus, in Possini notitiam usumque veniret, ipse innuit Car. Moronus, præfectus Bibl. Barb. Possino tradidit in solatio insuavis sine litteris rusticationis istud Arcudii notis locupletatum Isidorianarum litterarum volumen. « Primo statim intuitu Possinus animadvertit quantum inde posset in eas aureas epistolas nitoris et ornamenti refundi, si promerentur illic condita et loco palam conspicuo exponerentur ; in id ergo contulit remissionum intervalla ».

Ita scribebat Possinus, Tibure, anno 1670 simulque in lucem prodibant *Isidorianae collationes*, *quibus S. Isidori Pel. epistolae omnes cum multis antiquis optimae notae manuscriptis codicibus comparantur et inde circiter bis mille locis supplentur aut emendantur. — Ex Bibliotheca Barberina. Romae 1670 in-8.*

### VI. — DE EDITIONE VENETA ET SECUNDA PARISIENSI

His vero collationibus usus est auctor editionis quæ prodiit Venetiis 1745 cum ea inscriptione : *S. Isidori Pelusiotae de interpretatione divinae Scripturae epistolarum editio prima Veneta latina auctior et emendatior. Cui praeter notas Cunradi Rittershusii et Andr. Schotti adjiciuntur et notae aliae ex Isidorianis collationibus Petri Possini diligenter excerptae.*

Invictus tandem noster editor J. P Migne, tum ex editione Parisiensi Morelli, tum ex *collationibus* Possini suum volumen conflavit, utilissimum sine ulla controversia, sed omnibus numeris nondum absolutum, imo ne perfectioni quidem proximum : *S. Isidori Pel. epistolarum libri quinque post Jac. Billii, Cunr. Rittershusii et Andr. Schotti curas, ad codices Vaticanos exegit et plus bis mille locis emendavit, restituit, supplevit P. Possinus, S. J. Presbyter.* — Patr. Gr. T. LXXVIII. Lutetiæ Parisiorum 1860.

## CAPUT III

### DE INTERPRETATIONE QUADAM GALLICA ISIDORI

Auctor anonymus anno 1676 librum Parisiis edidit : *Le combat des chrétiens traduit du latin de*

*S. Isidore, Archevêque de Séville, avec la Vie du même Saint. — Paris en la maison d'Antoine Vitré, chez Lambert Roulland.* Volumen illud est mirandæ varietatis. Habui enim in manibus duo exemplaria ejusdem anni. Alterum recto ac perpetuo cursu a pag. 1 ad 348 finem petit. Alterum tria videtur curricula conficere, primum a pag. 1 ad 173, postea a 1 ad 136, denique a 1 ad 66.

Legitur vero (hic post pag. 54, illic pag. 229) præfatio quædam hujusmodi :

On a joint à ce présent traité de S. Isidore, évesque de Séville (?), quelques lettres d'un autre *S. Isidore évesque de Damiette*, qui n'a pas esté moins la gloire et la lumière de son temps. Les lettres de ce saint Père ont été estimées dans tous les siècles, et tous les auteurs considérables en ont parlé avec éloge. On n'a pu néanmoins, de ce grand nombre que nous en avons, en donner ici que très peu, que l'on a prises de son premier livre, et on a été contraint de choisir celles qui regardent les mœurs, se réservant à mettre dans un volume séparé celles qui regardent l'explication des endroits de l'Ecriture sur lesquels on le consultait. Si le public témoigne par ce petit extrait quelque désir de cet ouvrage, on sera bien aise de lui donner cette satisfaction.

Scilicet auctor in duplici errore versatur, dum putat Pelusium esse Tamiathim et Isidorum fuisse episcopum. Tum melior interpres, ut mihi videtur, quam historicus, epistolas e libro primo centum quinquaginta duas (deest tamen septuagesima Rittershusiano tanquam errore) gallicæ consuetudini tradit, eo ordine :

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3 | 45 | 101 | 157 | 224 | 214 | 382 | 432 |
| 5 | 47 | 104 | 162 | 226 | 316 | 383 | 433 |
| 12 | 49 | 110 | 163 | 227 | 319 | 385 | 434 |
| 14 | 58 | 112 | 164 | 228 | 324 | 386 | 435 |
| 15 | 61 | 118 | 165 | 229 | 325 | 387 | 437 |
| 22 | 62 | 120 | 170 | 231 | 327 | 388 | 440 |
| 24 | 63 | 127 | 173 | 232 | 329 | 389 | 446 |
| 25 | 73 | 129 | 178 | 237 | 332 | 390 | 451 |
| 27 | 77 | 130 | 179 | 238 | 333 | 391 | 471 |
| 28 | 79 | 133 | 180 | 260 | 336 | 402 | 474 |
| 29 | 87 | 140 | 184 | 264 | 267 | 403 | 475 |
| 30 | 88 | 142 | 191 | 275 | 368 | 408 | 480 |
| 31 | 89 | 144 | » | 278 | 370 | 410 | 481 |
| 35 | 90 | 148 | 202 | 304 | 372 | 411 | 482 |
| 36 | 91 | 149 | 208 | 307 | 373 | 412 | 486 |
| 37 | 92 | 150 | 213 | 308 | 374 | 420 | 492 |
| 38 | 93 | 152 | 214 | 309 | 375 | 421 | 493 |
| 41 | 98 | 154 | 215 | 310 | 379 | 424 | 496 |
| 44 | 99 | 156 | 220 | 311 | 381 | 427 | 498 |

# CAPUT IV

## DE COMMENTARIIS AD ISIDORUM SPECTANTIBUS

### I. — DE COMMENTARIO HISTORICO HENSCHENII

*Acta sanctorum. Febr, T. I, die IV. — de S. Isidoro Pelusiota monacho et presbytero in Ægypto commentarius historicus, auctore God. Henschenio. — Ed. 1658, p. 468-473 ; Ed. 1863, p. 473-479.*

Isidori memoria, ut jam diximus, die IV Februarii in utraque Ecclesia colitur. Ea de causa, unus e

primis Bollandiani operis, forte inter humana maximi, auctoribus, Godefridus Henschenius commentationem edidit, contractam et brevem, magni tamen pretii. Quattuor constat articulis:

I. — (I) Disserit Henschenius de Pelusio, urbe Ægypti, provinciæ Augustamnicæ metropoli constituta, ad quam effluit primum ostium Nili versus orientem. — (II-III) Affert Græcarum Menæarum, Galesinii et Molani de Isidoro testimonia. — (IV) Refutat Antonium Alegræum Carmelitas undecumque gentium conquirentem et in suo *Carmelitici decoris Paradiso* Basilianos omnes, Isidorum imprimis includentem. — (V) Ostendit Isidorum non in Græcia natum, ut idem Alegræus credidit, sed in Ægypto, apud Alexandrinos. — (VI-VII) Probat ex Nicephori sententia Isidorum discipulum fuisse Chrysostomi, monasticæ perfectionis exemplar, sacerdotali dignitate ornatum. Utrum fuerit *Abbas,* rem in dubium vocat.

II. — (VIII) Narrat Isidorum ex invidia Origenistis a Severo annumeratum. Putat hunc Severum eumdem esse atque illum monachum ad quem inscribitur epistola libri I, 368. — (IX) Isidorus S. Chrysostomum aperte defendit, vehementer Arcadium, Cyrillum atque Theophilum perstringit. Doctrinam et libros Chrysostomi præclare commendat, librum præsertim *de Sacerdotio.* — (X) Non Pelusiota, sed alter Isidorus Alexandrinus a Theophilo fuit exagitatus. — (XI) Pelusiota vero nomen Chrysostomi ut *Diptychis* inscriberetur, Cyrillum impulit. Id Nicetas apud Nicephorum testatur. — (XII) Eumdem Cyrillum monet, paterno tanquam

jure, ut dissidia tollat, juste judicet, inimicitias non ulciscatur, sit regula sacerdotum.

III. — (XIII) Scripsit Isidorus valde multas epistolas : ex iis excusæ bis mille *centum* et tredecim, libris quinque distinctæ (tanti erroris labem non in Henschenium, sed in librarium conferre velim). — (XIV) A Billio scriptam esse putat Henschenius epistolam Joannis Chatardi : *Mirabuntur fortasse nonnulli, etc.* — (XV) « Magnam, inquit, S. Isidori apud imperatorem Theodosium, magistratus et episcopos auctoritatem testantur epistolæ ad ipsos scriptæ. Ex his episcopis plurimi interfuerunt concilio Ephesino : Theon Herculis Sethrœti, Hermogenes Rhinocoruræ, Abrahamus Ostracinæ, Lampetius Casii, Alipius Sellæ, Strategius Attibodis, ex provincia omnes Augustamnica; Macarius Metelitarum et Theopemptus Cabasorum, ex vicina Ægypto. Heraclides Heraclensium Arcadiæ, Evoptius Ptolemaidos Pentapoleos, etc. » Id optime quidem et præclare dictum. — (XVI-XVII) Affert Henschenius nonnullas epistolas de Ecclesia, de virginitate, de bonis et christianis moribus, de via perfectionis.

IV. — (XVIII) « Ex hisce S. Isidori epistolis crebro *Annalibus* suis præclara inseruit testimonia Baronius : ita anno Christi 146, n. 29, malevolas gentilium obtrectationes, quas ob varias in Christiana religione exortas hæreses conceperant, egregie refutat allata epistola 90 lib. II, additque S. Isidorum hujus quæstionis scopum attigisse, cum, cur plures hæreses sint et quid in singulis faciendum, Apollonium episcopum instruat ». — (XIX) « Idem

Baronius ad annum Christi 404 n. 78, citat epistolam S. Isidori ad Cassianum, cum aggressus esset vitam monasticam profiteri, qua eum in primis sibi coercendam esse linguam, admonuit. Exstat ea epistola lib. I, 309, Cassiano monacho inscripta, quem *collationum Patrum* Auctorem arbitratur Baronius, ac tum in Ægypto scribendi hausisse argumentum..... Dein ad annum Christi 415 n. 27 et seqq, cum ex S. Hieronymo Palladium Galatam episcopum Helenopolis Baronius descripsisset, addit eumdem Palladium per epistolam ab Isidoro redargutum fuisse. Exstat ea Lib. II, n. 284 ». — (xx) « Aurea est hæc sententia in Concilio II Nicæno, act. I, prædicata, et ex S. Joanne Damasceno, lib. III *de Imaginibus* repetita, qua traditur S. Isidorus Pelusiota dixisse : Ναοῦ λόγος οὐδεὶς ὃν οὐ στέφει ἄγαλμα » (1). — (xxi) Voluit etiam Henschenius Isidorum scripsisse libros *contra gentiles* et *contra fatum*. — (xxii) Quod Andreas monachus, die IV Febr. a Coptis honestatus unus sit et idem atque Isidorus.

### II. — DE COMMENTATIONE ELLIES DU PIN

*Nouvelle Bibliothèque des auteurs ecclésiastiques, par L. Ellies du Pin. — Tome III, partie II. Des auteurs du Ve siècle de l'Eglise, Edit. de 1702. Saint Isidore de Damiette, p. 7-32.*

Ellies du Pin, luculentus ille scriptor qui non in paucas Bossueti reprehensiones incurrit, in sua de

(1) Cf. Tillemontium, T. XV, p. 118 : « On cite de notre saint cette parole, *qu'on ne doit pas faire cas d'un temple qui n'est orné d'aucune statue*, et on prétend qu'elle est citée par S. Jean de Damas dans son troisième livre *des Images* et dans la première action du second Concile de Nicée. Néanmoins je l'ai cherchée dans l'un et l'autre, sans l'y avoir pu trouver, et je ne sais même si elle convient fort au temps de S. Isidore. »

Isidori commentatione non minus religiosus quam locuples nihi videtur. In limine tamen offendit, disputationem nempe inscribendo : *S. Isidore de Damiette.* Sed ita etiam Bossuetus. Quæ sequuntur bona sunt atque optima. Hæc est ratio auctoris :

Isidore, prêtre de Damiette, ville d'Egypte située à l'embouchure du Nil, fleurit sous l'empire de Théodose le Jeune. Il embrassa l'état monastique et employa tout le temps de sa vie à mortifier son corps par une abstinence continuelle, et à nourrir son âme de la méditation de la doctrine céleste. (p. 7.) ..... Nicéphore lui attribue dix mille lettres. Il est difficile de croire qu'il en ait écrit un si grand nombre. Quoi qu'il en soit, nous n'en avons que deux mille douze, et il n'y en avait pas davantage dans les plus anciens manuscrits. Il avait aussi composé quelques autres ouvrages..... Je ne crois pas le traité *du destin* différent du traité *contre les Gentils*..... Les lettres de cet auteur sont toutes laconiques, c'est-à-dire, comme il l'explique lui-même après S. Grégoire de Nazianze, qu'elles contiennent beaucoup de choses en peu de paroles. Il a suivi dans la pratique la règle qu'il donne dans la lettre 153 du livre V, pour bien écrire des lettres. Il y remarque qu'il ne faut pas qu'elles soient dépouillées de toute sorte d'ornements, mais qu'il ne faut pas aussi qu'elles soient trop affectées ; que le premier défaut les jetterait dans une sécheresse et dans une bassesse de style qui les rendrait insupportables, mais que le dernier les rendrait faibles et ridicules ; qu'il faut leur donner autant d'agrément qu'il est nécessaire pour les rendre utiles et agréables. C'est ce qu'il a lui-même merveilleusement bien exécuté dans toutes ses lettres. Elles sont écrites avec beaucoup d'esprit et d'élégance, et cependant il n'y paraît point d'affectation ni de contrainte ; le tour en est fin et délicat, et il ne s'éloigne pas néanmoins de la manière de dire naturellement les choses. L'on n'y trouve point d'ambiguïté ni de fausses pointes, mais elles sont pleines d'un sel et d'une vivacité qui règne également partout. (p. 8.)..... Il combat le vice partout où il le trouve ; il fait des réprimandes fortes aux

personnes vicieuses et déréglées, de quelque condition qu'elles soient. Il s'adresse à elles-mêmes et ne leur dissimule point ce qu'il pense d'elles. Non-seulement il ne les flatte point dans leurs vices, mais il ne prend pas même de détour pour adoucir ses remontrances. Il leur dit ouvertement et crûment ce qu'il pense ; il leur représente leurs désordres avec toute la naïveté et la force possible et les presse vivement d'y renoncer. Il loue rarement ; mais quand il le fait, il loue d'une manière qui n'est point basse et qui ne peut point inspirer de sotte vanité. (p. 10.)

Tum collectis omnibus ejusdem argumenti epistolis, explicat quid de Scriptura Sacra (p. 10), de dogmatibus (p. 17), de ecclesiastica disciplina (p. 21), de moribus (p. 24), de vita monastica (p. 31) Isidorus senserit et docuerit. Præclarum sane ordinem et rebus accommodatum ! quem Tillemontius, posthabito editionum et codicum ordine vel potius confusione et tumultu, dignis laudibus extulit.

### III. — DE COMMENTATIONE TILLEMONTII

*Mémoires pour servir à l'histoire Ecclesiastique des six premiers siècles par M. Lenain de Tillemont. — T. XV 1711. — S. Isidore de Peluse, prestre et abbé, p. 97-119. Cf p. 867.*

Tillemontius, homo summi laboris et industriæ, in quo nihil diligentiæ aliquis requiret, summa secutus rerum fastigia, res Isidorianas decem articulis absolvit.

I. — S. Isidore est révéré de son vivant et après sa mort : ce qu'on dit de sa naissance.

II. — Il embrasse la vie monastique auprès de Péluse et y est peut-être abbé.

III. — Il est fait prêtre, reprend les pécheurs avec force et charité.

IV. — Il est persécuté pour avoir dit la vérité : sa disposition à l'égard de ses ennemis.

V. — Il s'élève contre Eusèbe, évesque de Péluse et contre plusieurs de ses ecclésiastiques.

VI. — Hermogène et d'autres animent le zèle du Saint : plusieurs profitent de ses avis.

VII. — Il écrit à Rufin contre un gouverneur ; honore S. Chrysostome ; écrit fortement à S. Cyrille ; combat les Nestoriens.

VIII. — Il travaille pour la paix de l'Église ; condamne l'hérésie d'Eutyche.

IX. — Il aime et défend Eutone ; condamne un serment fait par les officiers de l'empire.

X. — Mort de S. Isidore : ses écrits.

Hæc omnia p. 97-119. In extremo tandem volumine tres addit annotatiunculas p. 847 :

1. — Si Damiette est l'ancienne ville de Péluse.
2. — Quand Eusèbe a été fait évesque de Péluse.
3. — Sur les lettres de S. Isidore.

Sæpenumero Tillemontium superius laudavi, optimum testem in hoc genere eruditionis. Tribus nunc versiculis, ne actum agam, ejus placita commemorabo, quæ mihi minus placuerunt. Opinatur inter Gregorium Nyssenum et Isidorum aliqua epistolarum commercia fuisse (p. 97, 100) ; Isidorum in loco qui *Lychnos* dicebatur, monasticam vitam amplexum (p. 100) ; in cœnobio cæterum, non in solitudine, plerumque habitasse (p. 101) ; usque ad annum 449 egisse ætatem (p. 113, 116) ; commentarium de Isidoro in *Actis Sanctorum* a Bollando

fuisse exaratum (p. 119) ; unam tantum exstitisse urbem nomine Tamiathim, et hanc in Arcadia sitam (p. 847). Ista vero sunt levissima.

### IV. — DE COMMENTARIO REM. CEILLIER

*Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques par le R. P. Dom Remi Ceillier, — T. XIII. 1747. — Chap.* XXII, *S. Isidore de Peluse, prêtre et abbé : p. 600-640.*

Remigius Ceillier, sapientissimus noster Christianarum litterarum auctor, quadraginta circiter paginis plurima, ut solet, comprehendit. Primo enim articulo (p. 600-604) totam vitam Isidori complectitur. Narrat Isidorum Alexandriæ natum, Pelusium migrasse et ibi monastica castra secutum, sacerdotio auctum, multa passum ab improbis sacerdotibus quos liberrimis suis epistolis castigabat, Chrysostomi partium fautorem et adjutorem fuisse, Nestorianos oppugnasse, id tandem scriptis ac virtutibus suis consecutum, ut apud æquales magnam auctoritatem haberet, apud posteros vero æterna gloria donaretur. In his, unum non probamus, Isidorum usque ad annum 449 vitam produxisse.

Articulus secundus (p. 604-640) altero multo productior, de scriptis Isidori inscribitur. Existimat auctor libellum *contra Graecos* alium esse ac libellum *de fato*. Existimat tum utrumque periisse, tum octo millia epistolarum desiderari. Deinde libros quinque per ordinem evolvit, quæ summa sunt atque insignia observat copioseque describit. Tum his verbis de Isidori ingenio præclare judicat :

On peut dire que ce Père a mis en pratique les règles qu'il donne sur le genre épistolaire et qu'il a su joindre dans ses lettres l'utile à l'agréable. Quoique très courtes pour la plupart, elles renferment une infinité de choses très instructives, dites avec autant d'agrément que d'élégance. Le style en est naturel et sans affectation ; le ton est aisé et délicat ; les pensées nobles et élevées. Soit qu'il y explique les difficultés qu'on lui proposait sur l'Écriture ; soit qu'il y établisse la vérité des dogmes de notre religion ; soit qu'il y développe quelques points de morale ; soit qu'il y combatte les hérésies ; soit qu'il y fasse l'éloge de la vertu ; soit qu'il y reprenne le vice ; il se soutient partout, c'est toujours le même feu, et la même pénétration d'esprit, la même politesse dans le discours, la même force dans l'expression, le même zèle pour la religion et pour la défense de ses dogmes, la même ardeur pour la conversion des pécheurs. Évêques, prêtres, diacres, princes, magistrats, moines, laïques de toute condition, il s'intéresse au salut de tous ; représentant sans cesse à ceux qui sont préposés à l'instruction des autres, que la vie doit répondre aux paroles ; que l'on doit pratiquer ce que l'on enseigne ; que ce n'est pas assez de dire ce qu'il faut faire, qu'il est nécessaire de le pratiquer soi-même. C'est assez sa coutume de tirer le fond de ses lettres de l'Écriture, qui lui était si présente et si familière, qu'en peu de mots il donnait différentes explications d'un même passage. Elles roulent pour la plus grande partie sur les difficultés qu'on lui proposait sur l'ancien et le nouveau Testament. Mais quoiqu'il donne quelquefois le sens littéral de l'Écriture, il s'attache plus souvent au sens moral et spirituel, comme plus utile à ceux qui le consultaient. Il y en a aussi plusieurs de critique ; d'autres sur la discipline de l'Église ; et quelques-unes où il combat avec force la religion et les mystères du paganisme. *On ne peut donc trop en conseiller la lecture ; et un savant du dernier siècle souhaitait qu'on en fît des leçons dans les écoles publiques pour former en même temps les jeunes gens à la piété et à l'éloquence.* (p. 638-639.)

Hoc summi viri judicium si latino sermoni tradidissem, meum certe fecissem. Ad causam vero Isidori plus momenti ac ponderis ipsissimum auctorem, præsertim in dicendo elegantem, habiturum esse arbitrabar.

Possevinus, quem re, non nomine, Ceillier laudavit, sic habet in suo *Apparatu sacro* : « De epistolis S. Isidori Pelusiotæ, cum ex sententiis ac brevibus adhortationibus aculeum lectori perutilem infigant, suaserim probis et eruditis gymnasiarchis, ne tantam sinerent elabi occasionem, qua eas discipulis interdum partim prælegerent, partim seligerent e libris quinque utilissimas ». Hoc erat mihi in votis, quod jam olim Possevinum suasisse reperio. Verebar tamen atque etiam nunc vereor ne adversa in scholis christianarum litterarum fortuna vix ac ne vix quidem hujusmodi consilium ferat atque eclogariam istam Isidori editionem patiatur.

### V. — DE DISSERTATIONE CHR. AUG. HEUMANNI

*Christoph. Aug. Heumanni Dissertatio de Isidoro Pelusiota et ejus epistolis Gottingae, 1737. — Primitiae Gottingenses Academicae. Dissertatio inauguralis de Isidoro Pelusiota et ejus epistolis, quas maximam partem esse fictitias demonstratur, in Academia Georgia Augusta publico examini permissa, die X Aug. 1737, praeside Christ. Aug. Heumanno, S. Theol. doct. et prof. extraord. Hist. Lit. Ord. a candidato Magisterii philosophici Ern. Aug. Pezoldo Hannoveriano, S. Theol. cultore, p. 210-239.*

Etsi ab Heumanno multis in rebus discrepuimus, virum imprimis eruditum et ingenii acumine cele-

brem, non sine debita quadam laudatione dimittemus. Postquam enim pene infinitam silvam rerum ex aliquo loco comparaverat, ex omnibus quas in mente habebat rationibus, sententiam unam seligebat, et illam acutam, inauditam, feliciter audacem, quæ si vera esset, novam in historicis studiis lucem afferret, si vero falsa inveniretur, tamen non displiceret, sed potius plerisque arrideret, propter excogitationis subtilitatem. Hujusmodi fuit illa excogitatio de Isidoro rhetore et scribendarum epistolarum artis magistro. Quid acutius? Quid mirabilius? Qui gravis et severus Ecclesiæ doctor habebatur, omitti poterat. Rhetorem vero et rarissimum quidem rhetoris specimen quis contemnet? Miror equidem non omnes philologos tanquam ad album avem cucurrisse, portentosas illas epistolas diurna ac nocturna manu non versavisse. Fuit tamen utilissima dissertatio Heumanni. Stimulos adhibuit adolescentibus harum litterarum studiosis. Niemeyerum imprimis accendit ad scribendum, ac me quoque, fatebor enim, admotis tanquam calcaribus excitavit.

Earum rerum quas Heumannus attingit, ista sunt lemmata, ut ipse dicit.

I. — Altum eorum qui catalogos ediderunt scriptorum Ecclesiasticorum de Isidoro Pelusiota silentium.

II. — Mentio ejus apud Ephræmum, Facundum, Evagrium.

III. — De patria Isidori, deque ejus vita monastica, an fuerit *abbas*.

IV. — *Fuit rhetor*; quo sensu philosophus.

V. — Eum Chrysostomi fuisse discipulum negatur.

VI. — De scriptis ejus deperditis.

VII. — De epistolarum ejus editionibus.

VIII. — De Francisci Arcudii collationibus Isidorianis.

IX. — *Isidori plerasque epistolas esse fictitias* probatur generatim.

X. — Speciatim argumento primo.

XI. — Secundo.

XII. — XIII. — Tertio.

XIV. — Notatur error eorum qui sibi inter Isidorianas deprehendisse visi sunt epistolam ad Pelagium hæresiarcham.

XV. — Laus eloquentiæ Isidorianæ.

XVI. — XVII. — De Isidori imperitia exegetica.

XVIII. — De ejus immodica veneratione vitæ monasticæ.

XIX. — Ejus error de libero arbitrio.

XX. — An fuerit Origenista.

XXI. — Conclusio, insignes aliquot exhibens Isidori sententias paræneticas.

De his omnibus, quantum partes meæ erant, jam supra dixi. Perorans vero auctor Pezoldum suum, nobilem theologiæ cultorem et candidatum dignissimum, nominatim et ornatissimis verbis compellat :

Tuo igitur te merito amo, Pezolde ornatissime, qui cæteris tuis studiis adjunctum voluisti, cum literariæ, tum ecclesiasticæ historiæ curam haud perfunctoriam, ac utriusque peritiæ documentum nunc edis publicum. Ac gratiæ tibi sunt a me agendæ, qui componenti mihi hancce dissertatiunculam sedulum te præbuisti adjutorem, pluraque suppeditasti in Isidori epistolis tibi observata, quæ meos effugerant oculos. *Certe earum epistolarum quae bis exhibentur hoc in opere, plures, quam ego, accurata investigaveras circumspectione.* Dignum etiam te præstitisti elogio magistri publico : id quod cum ego satis exploratum habeam, ac testatum abunde feceris, solemni in examine, ut et alii cognoscant, maxime patroni, qui dignos munerum candidatos circumspiciunt, utique tibi faciendum puto. *Facies autem, si meo obsequens consilio, alteram concinnaveris de Isidoro nostro dissertatio-*

*nem*, in eaque *primum* indices plures argumenti vel etiam eorumdem verborum epistolas ejus; *deinde* plures observes græcorum librariorum mendas, *tum* plures corrigas errores trium Isidori interpretum; *hinc* quod Magdeburgenses illi centuriatores aliis præstiterunt veteris Ecclesiæ scriptoribus, universas Isidori, quem illis ne videre quidem contigit, sententias theologicas justo dispositas ordine exhibeas, ac *denique* ex Isidori tui epistolis plura proferas infelicis, licet δοκησισόφης, interpretationis Scripturæ Sacræ specimina. Quanquam quid incito currentem? Certum enim tibi jam est deliberatumque spicilegium hoc facere, atque alteram de Isidoro disputationem conscribere, idque ut recte queas facere, nullum formidare laborem, nulli parcere tempori.

Quas in Pezoldi sui ingenio et studiis Heumannus spes defixerat, destitutas ac præcisas fuisse constat, præclaram tamen viri exspectationem, nonnulli alii a Pezoldo impleverunt, Weismannus scilicet, Schrœckhius et alii duo, quos nunc sum producturus.

## VI. — DE COMMENTATIONE H. A. NIEMEYER

*De Isidori Pelusiotae vita, scriptis et doctrina commentatio Historica Theologica. — Scripsit Hermannus Agatho Niemeyerus, Theol. licent. Phil. doct. Seminarii Theol. Senior. — Halae, in libraria Orphanatrophei. 1825. in Patr. Gr. T. LXXVIII, p. 1-102.*

H. A. Niemeyer, quum in Fridericiana Academia Theologiam docendi potestatem expeteret, commentationem in lucem emisit, *de Isidori Pel. vita et scriptis*, cum extremum jam esset anni 1824. Duæ partes erant totius disputationis.

In prima parte, « quæ tum ex ipsius Isidori, tum ex aliorum patrum scriptis de illius vita innotuerant

copiose exponebat, neque hoc loco posthac quidquid addendum ant retractandum reperit ». Ego vero nolim Isidorum fecisse cœnobiarcham ac monasterii præfectum ex eo quod *abbatis* nomine a quibusdam fuerit nuncupatus ; illud enim nomen omnibus ætate provectioribus monachis, præsertim sacerdotibus adjiciebant, ut apud Cassianum Isidoro æqualem sæpissime invenies. Nolim Nestorianum Irenæum inducere, alterum ejusdem temporis hominem, Isidori fortasse superstitis epistolas in monasterio Accemetensi lectitantem et exscribentem. (p. 15-30.)

Pars secunda est de scriptis Isidori Pelusiotæ. Ostendit « libellum *de fato* non eumdem esse posse atque illum quem Pelusiota *contra Graecos* composuit ». Utrum vero illa *de fato* disputatio una et eadem sit atque libri III Ep. 151 ad Harpocram sophistam, in medio relinquit. — Tum disserit « de epistolarum quæ superstites sunt editionibus, illarumque numero », et in illa quoque re nos plura diximus quæ satis ab ejus placitis differunt. Deinde Heumanni sententiam « ita præeunte Schrœckhio refutat, ut lectorem quemque suis fauturum esse partibus speret. Denique plurimas Isidori epistolas non ea forma qua in editis excusæ sint exemplaribus, ab auctore scriptas esse, sed a monachis excerptas ad nostram usque ætatem pervenisse probare conatur ». Ad hanc suspicionem postea, auctore Reisigio quodam, addidit : « reperiri inter Isidori epistolas non solum quæ a monachis excerptæ, verum etiam quæ ab eisdem interpolatæ sunt ». Auctorem in re ista monastici maleficii magnitudi-

nem plus æquo adauxisse arbitror et levia in majus accepisse. Etenim quæ producit exempla, nullius aut certe parvi momenti videntur. (pag. 31-52).

Ad hanc suæ commentationis partem, in nova ineuntis anni 1825 editione, tres addidit appendices, « Quarum in prima, inquit, inter complures Isidori epistolas quæ in editione Parisiensi excusæ et a *Catenarum* auctoribus prolatæ sunt, eo consilio instituta est collatio, ut multas ejusdem epistolas a descriptoribus ad verbum non esse descriptas probaretur........ In secunda vero appendice enumeravi *Catenas* Patrumque dictorum syllogas sive eclogas quæ nondum editæ in bibliothecis asservantur, in quibusque Isidori exstant aut epistolæ, aut epistolarum fragmenta. In tertia denique, quæ mihi de epistolarum innotuerunt codicibus exposui, et occasione data, scripturæ diversitatem e codice Gudiano diligenter adnotavi ». In his omnibus homo natura perspicax et acutus quam maxime excellit. Unum tamen miratus sum, codices nempe Parisienses vix breviter salutari; et in uno auctoris fidem ac diligentiam desideravi. Duo enim eorum codicum nobilissimi falsis numeris inscribuntur a Niemeyero, quos ita restituere necesse est :

| | | | |
|---|---|---|---|
| cod. Niemeyeri | MDCCCXXXII | vere est | DCCCXXXII |
| cod. | DCCCCCXLIX (sic) | | CMXLIX |

illud equidem notandum esse putavi, sed interim recogito fortasse non Niemeyerum auctorem sed tumultuosum nostrum *Patrologiae* editorem, quem solum in promptu habui, hujus culpæ esse coarguendum. (pag. 53-60.)

Tertia autem commentationis pars, quæ nulla erat in anni 1824 editione, tractat de Isidori doctrina : « In tria apte dividi potuit capita. In primo enim quid ille de gravissimis dogmatibus senserit, declaratum est, ita quidem ut primum quid de fontibus religionis christianæ, quid deinde de Deo, tum quid de consiliis et institutis divinis, quæ ad hominum salutem per Jesum Christum reparandam spectant, quid denique de rebus futuris statuerit ille, traditum sit... In secundo vero hujus partis capite diximus de Isidoro apologeta; itaque ejusdem contra Ethnicos, Judæos et Hæreticos disputandi ratio declarata est. In tertio denique de Isidoro egimus librorum sanctorum interprete, atque pluribus probare conati sumus exemplis, eum neque omnino spernendum, uti Croius censuerunt et Heumannus, neque dignum esse laudibus quibus a Dupinio, Simone et Rosenmullero exornatur ». (pag. 61-102.)

Istæ res, multo maxima ex parte, ad Theologum spectant. Mihi isthic, ut prius non satum est, nunc non metitur. Si quid tamen in his ad litteras aut ad historiam aptius fuit, certe non contempsi, sed diligenter ac propria falcicula in meam segetem collegi.

## VII. — DE LIBELLO LUD. BOBER

*De arte Hermeneutica S. Isidori Pelusiotae scripsit Lud. Bober, Consil. H. Consistor. Cracoviensis, curatus in Chrzanow. — Cracoviae, 1878; in-8° p. VIII 112.*

Librum ab omni fastu eruditionis remotissimum ad res Theologicas totum pertinere dicerem, nisi

obiter et tanquam in trancursu historicas quæstiones movisset. Opere enim in quattuor capita distributo, tria, et hæc posteriora, artem Isidori hermeneuticam satis dilucide explanant; in primo vero capite (p. 2-15) auctor investigat : « *Quos Isidorus Pelusiota habuerit magistros, quae fuerit ejus indoles et dignitas, nec non quos conscripserit libros* ». Statuit igitur : 1° *Isidorum a Joanne Chrysostomo fuisse institutum Antiochiae*, quod minus nobis placuit; 2° *Isidorum ad sacerdotium promotum fuisse ab Athanasio,* quæ falsitas nihil virium habet; 3° *Isidori lucubrationes* adversus Græcos et de fato *fuisse veros atque absolutos commentarios,* non longiores quasdam et graviores, ut nos volumus, epistolas; 4° *Heumanni sententiam*, de fictitiis Isidori litteris, *minime stare*, et illud unum non inficiamur; *Niemeyeranam vero opinionem* de mutilatis quondam ac diminutis majori ex parte epistolis *verisimiliorem videri*; hoc ultimum plane non percipimus (1).

(1) Hujus libri æstimationem breviter fecit vir doctus et idoneus præ cæteris arbiter, H. Kihn : *Literarische Rundchau*, 15 April. 1881, p. 245-247.

De Isidoro equidem multo copiosius disserui mea exspectatione. Quod si redundans aliis et superfluens, aliis rudis atque inexpertus in hoc genere scribendi videor, habet ea res, me judice, justam reprehensionem. Si vero non summa cura studioque, non omni conatu ac toto pectore in res Isidori illustrandas incubuisse arguor, sed remisso ac languido fuisse animo, certe hujusmodi culpæ minime mihi conscius sum. Quando enim Isidori epistolas studiose tractabam, assidue lectitabam, identidem regustabam, id intima hac familiaritate contingebat, ut magis ac magis in dies Isidori amor in me cresceret. Meam igitur erga Sanctum Virum benevolentiam et pietatem satis aperte fateor, etiamsi nusquam majorem habere voluerim amicitiæ rationem quam veritatis. Sed eum tandem virum amplectebar, qui totus noster erat, relligione, studiis, sapientia, moribus, ipsoque vitæ instituto. Isidorum, ἡμετέρας αὐλῆς μοῦσαν, ut Photius ait, musam scilicet sine honore latentem et tenebris circumfusam, ego in meliorem lucem collo-

cabam, atque ad eas tuendas et honestandas, quæ *nostrae* propriè sunt, Christianas Litteras magno mentis ardore me conferebam. Ita sperabam fore ut cujus facta atque ingenium adumbrarem, is, e regionibus immortalitatis respiciens, suo patrocinio me sustentaret omnibusque præsidiis tueretur. Neque etiamnunc a certa atque explorata spe dejectus sum.

Pridie Nonas Februarii, festa dies agitur in Ecclesia *Sancti patris nostri Isidori Pelusiotae*, Græcique canunt grande Theophanis carmen. Mox ferme exactis sacris diei ritibus, ultimum illud psallunt troparium, quod pia manu tanquam florem decerpsi, ut meis quotidianis precibus addere consuescerem :

Ἱδρῶσι τῆς ἀσκήσεως
παθῶν τὴν φλόγα ἔσβεσας,
καὶ ἀπαθείας πρὸς ὕψος
ἀναδραμὼν, Θεοφόρε,
τῷ τοῦ Χριστοῦ νῦν βήματι
παρέστης ἀγαλλόμενος,
ὑπὲρ ἡμῶν δεόμενος,
Ἰσίδωρε, τῶν τελούντων
τὴν παναγίαν σου μνήμην.

# INDICES

## I. — CATALOGUS VIRORUM

### APUD ISIDORUM ANTE ALIOS INSIGNIUM

## II. — ELENCHUS CODICUM

### QUI IN OPUSCULO CITATI SUNT

---

# III. — SYLLABUS AUCTORUM

## QUI SÆPIUS LAUDANTUR

*Acta Sanctorum, Febr. T. I.*
Andréossy : *Description de l'Égypte.*
Baronius : *Ann. eccl.*
Billius Prunæus : *S. Isid. Pel. Epist. Libri III.*
Bober Lud. : *De arte hermeneut. S. Isid.*
Boissonade : *Aristœneti Epist.*
Ceillier : *Hist. gén. des aut. sacrés et ecclésiastiques.*
Cramer : *Catenae gr. patr. in Nov. Test.*
Ellies du Pin : *Nouv. Biblioth. des aut. ecclés.*
Erasmus : *Conscrib. Epist. ratio.*
Fabricius : *Biblioth. gr.*
Hercher : *Epistolographici graeci.*
Hergenrœther : *Photius* et *Kirchengesch.*
Heumannus : *Dissert. de Isid. Pel.*
Le Père : *Description de l'Égypte.*
Lequien : *Oriens Christianus.*
Maspero : *Du genre épist. chez les anc. Égyptiens.*
Μηναῖα.
*Menologium Basilianum.*
Monnier E. : *Histoire de Libanius.*
Montefalconius : *Bibl. bibl.*
Nicolaï : *Griech. literaturgesch.*
Niemeyer : *De Isid. Pel. vita, scriptis et doctrina.*
*Patrologia graeca.*

Petavius : *De Theol. dogm., et Epistolae.*
Petit : *Essai sur Libanius.*
Possinus : *Isidorianae collationes.*
Rittershusius Cunr. : *S. Isid. Pel. libri IV.*
Sathas Const. : Κρητικὸν θέατρον.
Schottus Andr. : *S. Isid. Pel. epist. hactenus ineditae.*
Tillemontius : *Mémoires pour servir à l'hist ecclés.*
Valesius : *In hist. eccl. adnotationes.*
Wetzer et Welte : *Kirchenlexicon.*

# IV. — CONSPECTUS

## TRIUM LIBRORUM



## LIBER PRIMUS

### ISIDORUS



## LIBER SECUNDUS

### PELUSIUM

## LIBER TERTIUS

### BIBLIOTHECA ISIDORIANA



---

## INDICES

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,

pridie Kalend. Jun. ann. MDCCCLXXXIV.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur.

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD

Non committendum puto ut meos errores ac menda ab oculis removisse videar. Provincialibus enim typis laboriosum opus mandavi ac vehementer miror rem totam cessisse tam feliciter. Gratias necesse habeo referre tum ipsi typographo gnaro peritoque viro, tum uni ex amicis quem proprio nomine salutarem, si per ipsum liceret. Conglobatim igitur dicam litteras quasdam aut resupinas aut laxo vinculo disjunctas occurrere, aut a recta via sursum ac deorsum deflutere, aut caducas omnino decipere oculos. Addam accentus e cæco prelorum tumultu non semper evasisse incolumes. Nescio vero quibus e latebris tria aut quattuor aut plura fortasse monstra irrepsere : pag. 9 in extrema linea 11, *antistibus* pro *antistitibus*; p. 52, lin. 21, *Æniponti* pro *Œniponti*; p. 104, lin. 3, μεγάλῆ τε pro μεγάλη τε ; p. 182, l. 7, *Fitzeto* ac rursum l. 10, *Fitzeti* pro *Fitzero* et *Fitzeri*. Ea sphalmata et alia hujusmodi si quæ sunt tam odiosa, precor ut novo homini, harum rerum insolito et aliis sæpe negotiis distento condonentur.